3.

Programm

des

Gymnasiums der Stadt Pyritz,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 14. April

ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,

Director.

Inhalt:

Pyritz, 1862.
Druck von C. Hesse.



Aristotelis de voluptate doctrina.

Particula prior.

Aristoteles de voluptatis natura generibusque præcepta quamvis pluribus eius scriptis inserta reperiantur et, ut locus fert, modo copiosius modo brevius exponantur, tamen maximam partem Ethicorum, quo talis materia plurimum respicit, tot versantur locis tamque luculentis, ut a primordiis ad extremum usque finem ista doctrina cum industria perducta videatur. In Rhetoricis enim, quibus inde a lib. I capite nono quam dicunt epideicticam tractatur eloquentia, voluptatis expositio qualis sit habenda quaque ratione ad finem pertineat propositum, Trendelenburgius vir doctissimus deque Aristotele interpretando bene meritus omnino ita statuit, ut additamentis fere nullis opus sit. Omissis igitur eis, quæ de voluptatis definitione cap. XI perhibentur ab Ethicis satis absona hic monuisse tantum iuvabit, illam voluptatis explanationem partim cum reliquis consentientem partim repugnantem ad singularem huius libri dignitatem recte intellegendam potius valere quam ad voluptatem perspicue declarandam. Ad Ethica iam transitu facto, quibus ea quæstio sæpius repetita perfectaque reperitur, in primis Nicomachea ab Aristotele ipso contexta et Magna Moralia scriptoris alterius eiusque incerti manu elaborata complures propter causas eo accuratius sunt examinanda, quo de conditione horum librorum critica subtilius a viris doctis iudicatum est. Tria vulgo feruntur in Aristotelicorum librorum corpore Ethica, quorum Nicomachea non solum propter maiorem ambitum sed etiam propter rationem materiæ tractandæ maxime probabilem iure summum tenent locum. Quam ob rem L. Spengelius in dissertatione clarissima bene videtur egisse, quod accuratissima Ethicorum comparatione instituta Nicomacheorum genuitatem a Schleiermachero vehementer tentatam argumentis firmissimis defendere conatus hæc ab Aristotele conscripta; Eudemia Eudemo illius discipulo atque auditori tribuenda; ex his Eudemiis denique adhibito hic illic Aristotelis opere posteriore tempore excerpta fuisse Magna Moralia docuit. [2]) Cui sententiæ a plurimis hodie comprobatæ præter ceteros video consen-

1. cf. Aristotelis de anima libri tres pag. 177.

2. Ueber die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften. Abhandl. der Münchener Akademie dsr Wissenschaften I Cl. Band III Abth. II pg. 439—451.

tire Trendelenburgium, nisi quod M. M. partim ex Eudemiis partim ex Nicomacheis fluxisse et utrorumque quasi lineamenta præbere contendit. [1].)

Quæ licet eo, quo par est, acumine ingenii evicta concedas, tamen hac disceptandæ quæstionis ratione non omnes difficultates remotas esse patet, nam duobus Nicomacheorum locis (lib. VII, 12—15. lib. X, 1—5) de eadem re a philosopho sagacissimo viæque apte deligendæ peritissimo continua disputatione et in singulis ne sibi congrua quidem agi merito quispiam offenderit. Accedit, quod Aristotelem peculiari libro de voluptate scripsisse Diog. Laërt. (cf. V, § 22 et 24) haud dubie testatur et Theophrastum præceptoris exemplum secutum eiusmodi quæstiones ibidem commemoratas composuisse. Quomodo difficultates eæ, quas in omnibus commentariis confirmatas esse conspicias, commode tollendæ sint, iam vetustiores interpretes plane desperaverunt, ita ut Giphanius hanc ob iterationem obscuritatis Aristotelem arguat neque Spengelius nisi coniecturis audacter adhibitis rem expediri posse censeat. Is enim, cui velut Brandisio inferior commentatio diligentius multo perpolita ab Aristotele profecta videtur, priorem Eudemo fortasse tribuendam, vel id quod in Eudemiorum editionis a Fritschio paratæ censura tempore posteriore docuit, Aristoteli saltem derogandam coniectavit. At ne quis una cum libro septimo duos qui præcedunt alios, ad quos multi Nicomacheorum loci necessario pertineant, propter hanc utriusque commentationis rationem loco movendos esse putet, Spengelius opinatur, Aristotelem duas de voluptate disputationes diversis scripsisse temporibus, quarum altera ab ipso repudiata tum a discipulis denuo recepta sit et integra posteris servata. Multum vero abest, ut prior commentatio sit Eudemiis vel incerto auctori concedenda, quod cum eis, quæ de continentia prolata sunt, arctissimo vinculo cohæret et inceptam ab initio lib. VII materiam absolvit. Cum Spengelii conatu in singulis quidem satis ingenioso quin plura dissentiant, dubitari nequit, quam ob causam duo viri haud exigua Ethicorum notitia instructi aliaque via ingressi graviore remedio quæstionem solvisse sibi videntur. Nam medium quasi locum inter Schleiermacherum ac Spengelium tenentes Fischerus [2]) et Fritschius [3]) miro quodam consensu dicunt, Nicomacheorum duos libros, sextum et septimum, quos præter quintum in codd. Eudemiorum eisdem fere verbis inveniri constat, in hæc totos esse transferendos eorumque auctorem Eudemum vere iudicandum. Quæ ab utroque ad firmandam sententiam non sine probabilitatis quadam specie collata sunt, eorum summum argumentum, quoniam singula quæque deinceps animo perlustrare alienum videtur, in Bendixeni [4]) Pranteliique [5]) dissertationibus partim ad causas illorum refellendas partim ad integritatem Nicomacheorum servandam scriptis ita in brevem conspectum reperies congestum, ut quod ad duas de voluptate disputationes inter se reconciliandas attineat, pluribus explicari non opus sit.

In Eudemiis, quæ mutato quidem sæpius ordine disputationis plerumque Aristotelicis ex scholis fluxisse notum est, peculiari de natura voluptatis excursui non occurritur; sed

---

1. Monatsberichte der Berliner Akademie der Wissenschaften März 1850. Bonitz observ. crit. in Aristotelis quæ feruntur Magna Moralia et Ethica Eudemia. Sed. 1844.
2. De Ethicis Nicomacheis et Eudemiis Arist. nomine inscriptis Bonnæ 1847.
3. Eudemii Rhodii Eth. ed. Fritschius Ratisbonæ 1851.
4. Commentatio de Ethicorum Nicomacheorum integritate Ploenæ 1854.
5. Ueber die Dianoëtischen Tugenden in der Nicom. Eth. des Aristoteles. München 1852.

Eudemus iam ab initio ad felicitatem perquirendam maxime intentus locis aliquot dispersis eius ita mentionem fecit, ut in afferendis variis hominum opinionibus et distinguendis voluptatum generibus fere totus Nicomacheorum insistat vestigiis. Attamen operæ fortasse pretium erit, quæ ad Aristotelis doctrinam clarius perspiciendam aliquid valeant, data facultate perstringere paucis. Hæc vero tribus Eudemiorum primis libris, qui ætatem nostram tulerunt integri, passim continentur, nam quæ lib. X de voluptate hic illic implicata sunt, amicitiæ notioni diligenter circumscribendæ plurimum inserviunt. Quæ si vere de libris Eudemiis a me statuuntur, tantum abest ut voluptatis quæstio in Magn. Mor. II, 7 breviter proposita ad Eudemi doctrinam referenda sit, ut ex Aristotelicis placitis hausta videatur et quærendum sit, utram commentationen sequantur Magn. Mor. excerpta, quæ quamvis multo minoris æstimanda sint Nicomacheis, tamen ad ethicam Aristotelis philosophiam penitus cognoscendam nequaquam sunt contemnenda vel negligenda. Rationes autem quales inter Nicomachea et Magna Moralia intercedant, cum Zellius in commentario tum Antonius [1]) in dissertatione eleganter scripta docuit, quorum alter in Nicomacheis explicandis omnino Magn. Mor. locos simillimos conferri iubet, alter utrorumque comparatione facta quæstionem ita concludit, ut quamquam Magn. Mor. commentatio præcipue respiciat ad lib. VII Nicomacheorum, tamen ex lib. X sententias gravissimas afferri contendat. Sic aliis omissis dubitari fere nequit, quin illorum auctor primis cap. II enunciatis, quæ de voluptate, beatudine, virtute proponat, ex Nicomacheorum lib. VII sumpserit, contra quæ ad refutandas adversariorum sententias spectent, ex lib. X admiscuerit; parique modo in disputationis progressu cum eorum opinionem, quibus voluptas ortus esse videtur, argumentis refellere studeat, cum utrique inter se iungendæ dissertationi operam impendisse non latet. Itidem quæ in Magn. Mor. de malis voluptatibus exprimuntur, (cf 1204 a 35. 1205 a 26) maximam quidem partem ad lib. VII cap. 13 et 14 haud dubie respiciunt, at licet malæ sint quædam voluptates, tamen totum earum genus in bonis habendum exploraturus ad lib. X reducitur (cf. 1175 b 25 sqq.). Neque minus quod a nonnullis voluptas in bonis esse numeranda negatur, quippe omnibus communis sit, eis quodam modo redarguitur verbis, quæ lib. X ex Eudoxi sensu enodantur. (cf. 1172 b 24) Denique quod voluptatem perficiendæ cognitioni tamquam noxiam putari Magn. Mor. commemorant, (cf. 1205 b 37) eam sententiam non verbis solum proxime sequentibus (cf. 1206 a 2) manifesto refutatam sed duobus quoque locis Nicomacheorum (cf. lib. VII 1152 b 16. 1153 a 21) breviter tractatam postremo lib. X cap. V, quo quamlibet actionem voluptate ipsi necessaria perfici uberius ostenditur, argumentatione subtilissima ita conversam adspicies, ut Magn. Mor. auctor in contrahendis de voluptate præceptis utraque Aristotelis commentatione usus fuisse videatur. (cf. 1175 a 20. ἄνευτε γὰρ ἐνεργείας οὐ γίνεται ἡδονή, πᾶσάντε ἐνέργειαν τελειοῖ ἡ ἡδονή. 1175 b. 26. καθ'ἑκάστην γὰρ ἐνέργειαν οἰκεία ἡδονή ἐστιν.)

Qua Spengelius coniectura utramque de voluptate disputationem seorsim propter peculiarem indolem diiudicari voluit et rationem habere in re ipsa positam censuit [2]), ea vereor ne suspiciones ex discrimine captas non omnes sustulerit, nam si frustra interiorem quemdam nexum inter utramque circumspexeris, dubitare profecto possis,

1. Quæ intercedat ratio inter Ethicorum Nicomacheorum librum VII, 12—15 et lib. X, 1—5 scripsit Anton in progr. Gedani 1858.

2. cf. Zellius in comment. ad lib. X, pag. 422. Anton. l. l. pag. 10 in notis.

utra sit præferenda magisque ad Aristotelis doctrinam cognoscendam accommodata. Neque aliud quicquam Antonius quamquam disputationis in hac quidem provincia prospero successu peractæ summam complexus (pag. 15) invenisse sibi videtur contentumque se fore dicit, si locum certum unicuique quæstioni tribuerit, tamen ex hac ipsa singularium particularum compositione diligentissima plurimum ni fallor elucet, quanto opere consilio licet alieno scriptæ duæ commentationes in plerisque sibi consentiant. Itaque non est, quod mireris cur in priore Antisthenes et Speusippus ab Aristotele reprehendantur voluptatis speciebus neglectis veræ notionis constituendæ parum curiosi, in posteriore Platonis sectatoribus strictim refutatis eiusdem philosophi præcepta paulo copiosius tractentur: cur lib. VII ad reiiciendos maxime conversus adversarios, qui voluptatem omnino in bonis habendam negabant, suam sententiam pressius annexuerit, in lib. X aliorum argumentis partim reiectis partim comprobatis continuam exhibuerit de voluptate doctrinam: cur lib. VII corporis voluptates ad quas aliorum dubitationes potissimum referri vidit, præcipue tractandas sibi proposuerit, contra lib. X eis posthabitis honestiores illas voluptates describendas elegerit. Quamvis igitur in hac discrepantia satis memorabili fieri nequeat, quin alterutri dissertationi suæ ipsius rationes concedantur, tamen in utraque, quæ de voluptate in bonis ponenda, cum beatitudine coniungenda, plurimum expetenda hic illic disputavit, haud male congruunt, ita ut in explicanda Aristotelis doctrina utraque pariter adhiberi possit atque in singulis expediendis apte comparari sententiis.

Quam philosophandi regulam auctor in reliquis semper observasse videtur, ut a vulgaribus profectus opinionibus ad sententias priorum philosophorum vel corrigendas vel refellendas progrediatur ac postremo suam doctrinam uberius exponat, eam in lib. X quæstione magis secutus est quam superiore, quæ finitimæ commentationi quasi adfixam se præstat. At tantum abest, ut in his solum acquiescere liceat, ut cuncti Nicomacheorum loci studiose perscrutandi sint, in quibus de voluptatis notione variisque voluptatum divisionibus agitur, præsertim cum haud pauca in unaquaque ut satis nota sumantur.

Voluptatis quæstionem præparaturus Aristoteles sic exorsus est, ut eam omnibus animantibus esse communem ideoque plurimum peti demonstret et humanæ naturæ adeo penitus insitam, ut assiduam totius vitæ se præbeat comitem, quæ scilicet animo infixa vix abstergi queat. (cf. 1104 b 34 κοινή τε γὰρ αὕτη ἡ ἡδονὴ τοῖς ζώοις καὶ πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν αἵρεσιν παρακολουθεῖ· ἔτι δ'ἐκ νηπίου πᾶσιν ἡμῖν συντέθραπται. διὸ χαλεπὸν ἀποτρίψασθαι τοῦτο τὸ πάθος ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ.) Rerum enim iucundarum appetitio non in pueris solum, qui rationem (λόγον) sequi nesciunt, (cf. 1119 b. 6. κατ'ἐπιθυμίαν γὰρ ζῶσι καὶ τὰ παιδία καὶ μάλιστα ἐν τούτοις ἡ τοῦ ἡδέος ὄρεξις) sed in eis quoque, qui cum sint ætate provectiores, ad præcepta rationis actiones redigere didicerunt, aperte dominatur. Atque cum in primis tria soleant expetere homines honestum, utile, iucundum, tria fugere contraria: turpe, inutile, molestum (cf. 1104 b 30) et quicquid honestum, quicquid utile sit, id iucundum videatur; plurimi voluptatem concupiscunt secundo post honestum loco ponendam, (cf. 1110 b 11. 1105 a. 1 καὶ γὰρ τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον ἡδὺ φαίνεται) quippe quæ licet bonum non sit, tamen boni speciem præ se ferat; dolorem autem ut malum fugiunt. (cf. 1113 b. 1 οὐ γὰρ οὖσα ἀγαθὸν φαίνεται· αἱροῦνται τὸ ἡδὺ ὡς ἀγαθόν, τὴν δὲ λύπην ὡς κακὸν φεύγουσιν.) Porro quia nos ad voluptates natura finxit procliviores (cf. 1109 a. 15), eis sive iustæ sive falsæ sunt incitari nos patet, ut aut male agamus aut ad bene agendum impella-

mur, nam utrum quis malus fiat an bonus, animi habitu rationis vel participis vel cupiditati parentis efficitur. Quam ob rem animus voluptatibus pravis ac vitiosis obsecutus contra molestiarum, quæ necessario sunt perferendæ, fugiens deterior fit, melior, si voluptatis illecebris ad improbas actiones non invitatur neque doloribus ab honesto deterretur. (cf. 1104 b 21-24 δι' ἡδονὰς δὲ καὶ λύπας φαῦλαι γίνονται τῷ διώκειν ταύτας καὶ φεύγειν. 1104 b 9—14) Voluptas autem rationis præceptis minus gubernata tantum abest, ut in rebus honeste agendis versetur ut ad turpissima quæque raptim feratur. Itaque quoniam deleri nequit ac prorsus evelli, scite custodienda est plurimumque operæ adhibendum, ut Platone teste [1]) quibus rebus oporteat, eis iam pueri lætari ac dolere consuescant. (cf. 1104 b 11—13) Igitur viris civitatis administrandæ peritis et pædagogis id consulendum est, ut in civibus regendis et educandis pueris honestarum actionum voluptatem turpium dolorem excitent, quod nisi fecerint, ad virtutes vere colendas illos umquam ductum iri vix est credibile. Qua de causa qui recte gaudere ac dolere vitamque degere honestam dicitur, voluptatem actionibus tantum bonis, hoc est, ex virtute profectis oriri cognoscit. (cf. IV, 2 in.)

Hac argumentandi ratione in tractandis virtutibus singulis distinctius usus est unamquamque ad summam perfectionem evectam habere in se inclusam voluptatem propriam demonstraturus. [2] (cf. 1099 a 15 οὐδὲν δὴ προσδεῖται τῆς ἡδονῆς ὁ βίος αὐτῶν [sc. φιλοκάλων] ὥσπερ περιάπτου τινός, ἀλλ' ἔχει τὴν ἡδονὴν ἐν ἑαυτῷ· 1169 b 26.) Sic ut unum de multis exemplum afferam, vir iustus, qui cum duo iustitiæ genera sint—alterum ad res publicas alterum privatas respiciens—aut civitatis obtemperare legibus aut suam sibi portionem sumere vel aliis æquam concedere partem dicitur, non sine gaudio iustas complectitur actiones totusque versatur in eis perpetrandis: iniustus autem sive iuris legitimi negligens sive inæqualis iuste factis adversatur quin etiam voluptatem quærit e lucro profectam. (cf. 1130 b 4) Præterea cum voluptas et dolor non tantum actiones sed etiam animi sequantur perturbationes, de quibus Aristoteles lib. II cp. 4 copiosius disseruit, valde cavendum est, ne nimium illis abrepti a virtutibus præstandis impediamur. Perturbationes enim, quibus huc illuc moti mentis æquabilitate caremus, haud inepte variis comparantur morbis, ad quos tollendos medici remediis ex contrariis rebus sumptis utuntur; nam quemadmodum, si medicum frigidam aliquam adhibere conspexeris medicinam, morbum ex calore natum statim coniicias, sic e pœnis ad dolores inferendos idoneis vitiosum animi habitum voluptate genitum esse cognoveris, quoniam pœnæ dolorum non expertes voluptati perturbationis effectrici aperte sunt contrarii. (cf. 1104 b. 16—18) Nec minus eis, qui voluptatis ac doloris affectibus perturbati veræ virtutis notionem mente nondum perceperunt, usu sæpenumero fit, ut cum recte aut lætari aut dolere non didicerint, quibus de causis singula quæque optanda sint et agenda, nesciant et ex eis quibus vir bonus dolorem rebus voluptatem capiant, et dolorem sumere consuerint ex eis, quæ illi iure sunt voluptati. (cf. 1140 b.17—19 τῷ δὲ διεφθαρμένῳ δι' ἡδονὴν ἢ λύπην εὐθὺς οὐ φαίνεται ἡ ἀρχή, οὐδὲ δεῖν τούτου ἕνεκεν οὐδὲ διὰ τοῦθ' αἱρεῖσθαι πάντα καὶ πράττειν.) Quapropter in diiudicandis actionibus ad voluntatem causasque, quibus motus quis eas suscepit, voluptas et dolor accedunt, quibus utrum sint probandæ an vituperandæ facile concludas. (cf,. 1105 a 4 Κανονί-

1. cf. de Legibus pag. 653 τὸ δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας τεθραμμένον αὐτῆς ὀρθῶς, ὥστε μισεῖν μὲν ἃ χρὴ μισεῖν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους, στέργειν δὲ ἃ χρὴ στέργειν.

2. cf. 1104 b 5-8. 1118 a 32-33. 1104 a 7-8. 1120 a 24-30, b 30. 1122 a 6-8. 1123 b 27-31.

ζομεν δὲ καὶ τὰς πράξεις οἱ μὲν μᾶλλον οἱ δ' ἧττον ἡδονῇ καὶ λύπῃ) Cum vero homines honestatis studiosi actionibus virtuti consentaneis oblectentur, neque quisquam nisi qui libenter eas complectatur vir bonus appellari possit, eum tantum liquet bene egisse, qui rebus honeste peractis re vera gaudeat. (cf. 1099 a. 17—20.) At plus etiam momenti tribuisse videtur auctor voluptati dolorique percipiendis; etenim quod sæpius fieri solet, ut homines inscii certe non sibi conscii prorsus agant, uterque animi affectus indicio est, num ad scientiam provecti secus facturi fuerint necne, quare actiones per ignorantiam confectas invite suscepisse putandus est, quem earum postea pœnitet. (cf. 1110 b 18—19) Quod quidem quantum ad vitæ quotidianæ consuetudinem valeat, Aristoteles in lib. IV cap. 12 virtutes quas vocant sociales contemplatus scitius exposuit, ex quibus primam comitatem delegit tractandam. Vir enim comis, quem cum hominibus ita ut debet versari et honestum atque utile spectantem maxime intentum esse ait, ut delectet potius quam offensionem præbeat, tamen rei perficiendæ rectam adeptus cognitionem dolori voluptatem, quæ nisi neglecta honestate vel damno parato capi non potest, merito postponet. (cf. 1126 b 28—36, IV 12 med.) Similiter si quem damnosi aliquid et ignominiosi facientem animadverterit, improbando dolorem magis quam probando voluptatem inferet. Tum qua ratione quis commoda, quæ alteri obtigerunt, intueatur qualemque se præbeat in detrimentis aliorum considerandis, ex voluptate vel molestiis propter ea susceptis agnoscas. Nam is quem indignatio iusta non dedecet, quandocumque homo indignus rebus secundis utitur, valde dolet: invidus omnino fortunas alienas sive digni sive indigni contemplatus dolore vexatur, malevolus denique tantum abest ut, quoniam aliorum incommodis gaudere iuvat eum, dolore molestiisque moveatur ut plurimum inde voluptatis hauriat. (cf. 1108 b 3—6) Voluptas igitur ac dolor, circa quæ omnis hominum vita vertitur, quemvis actum et affectum sequuntur nec ab eo possunt seiungi. (cf. 1104 b 14 παντὶ δὲ καὶ πάθει πάσῃ πράξει ἕπεται ἡδονὴ καὶ λύπη. 1105 b 23) Cum vero ad res agendas multum valeant, ex utroque facili negotio concluditur, quales habitus animo inhæreant; voluptate dein et dolore potissimum fit, ut vel vitiosi nobis innascantur habitus, vel virtutum colendarum participes reperiamur, non quo voluptatis indigeat virtus tamquam appendicis sed quod perfecta summam continet voluptatem et actiones honesto virtutique convenientes eius cogitari nequeunt expertes. Postremo cum qua ratione quis voluptatem et dolorem capiat, aut virtute præditus aut destitutus nominetur, et maximam voluptas et dolor obtineant vim in actionibus suscipiendis, eas affectiones dignas esse intelligitur, quæ diligenter in ethicis quæstionibus explicentur. (cf. 1105 a 10 ὥστε καὶ διὰ τοῦτο περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας ἡ πραγματεία. 1152 b 5.)

Quanto opere voluptas ad omnes res perficiendas pertineat, postquam primis Nicomacheorum libris docuit, de temperantiæ atque intemperantiæ notione uberius lib. VII disputat, qua disputatione voluptatis expositionem ita præparari iam supra dixi, ut hæc illa prætermissa perspici fere nequeat. Quemadmodum vero unamquamque virtutem quasi medium quiddam inter extremos duos fines collocatum esse demonstrat (ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν φρόνιμος ὁρίσειεν): sic temperantiam mediocritatem earum, quæ voluptatem attingunt, rerum lib. II cp 17 in singulis definiendis virtutibus proposuit, quo tamen loco temperantiam non ad cunctas voluptates sed ad eas potius, quæ cum corpus respiciant tum percipiantur tactu, referendam esse censet. (cf. 1107 b 4 sqq.) Quam ob causam, quod

animo atque corpore natura hominis efficitur, lib. III cp. 13 duæ voluptatum species inter se discernuntur, quarum alteræ in animi solius affectibus versantes φυχικαί alteræ corpus tantum spectantes σωματικαί vocantur. In illarum numero ponuntur primum eæ, quas ab habitu quodam virtutis studioso profectas homines concupiscunt, (cf. 1117 b 28 διῃρήσθωσαν δὲ αἱ ψυχικαί καὶ αἱ σωματικαί, οἷον φιλοτιμία, φιλομάθεια) tum eæ quæ magis universe significatæ bonis externis acquiruntur. (cf. 1117 b 32 sqq. VII, 6) Quæcunque voluptates sensuum motibus gignuntur, sive percipiuntur adspectu colorum nempe, figurarum, tabularum—sive auditu velut ex cantilenis, theatro—sive odoratu malorum, rosarum, suffimentorum, aliorum—sive tactu sive gustu cibi ac potionis—eæ alteri σωματικῶν generi sunt accensendæ. Voluptatibus igitur aliquo sensu natis prouti quis aut recte aut nimis fruitur, temperans aut intemperans iure dicitur, maxime tamen cum ad priores species temperantiæ nomen minus adhiberi soleat, is qui voluptates tactu gustuque genitas aut fugiendas aut petendas esse putat. Quæ quidem quia nobis cum reliquis animantibus sunt communes ideoque proprie corporis habendæ, beluinæ apparent et serviles, nam ceteris sensibus beluæ nisi ex eventu voluptatem non capiunt, sicut paulum earum refert, utrum flores suaviter pulcreque fragrent necne, parique modo boves taurorum mugitus auribus percipientes non auditu sed pastu futuro delectari videntur. Tactus vero, quo sensu nititur intemperantia, omnium maxime universus et ita comparatus est, ut propter eum homines aliquatenus beluarum natura sint præditi. Reperiuntur tamen præter inferiores illas honestiores quædam voluptates tactu excitatæ, quas auctor in transcursu levius perstrictas quam diligentius exploratas voluit. (cf. 1118 b 4—6)

Ad eas adipiscendas homines impelluntur cupiditatibus, ex quibus iterum duæ species afferuntur cum argumentationis ratione congruentes: aliæ, quæ spectant inopiam quamlibet potione ac cibo vel alia re tollendam et satiatæ naturalem præbent voluptatem, cunctis nimirum communes—aliæ quæ quibusdam tantum hominibus insitæ efficiunt, ut voluptates quærant ex eis potissimum rebus, ex quibus non oportet, vel in gaudendo modum superent, vel inhonesta ratione eis oblectentur—peculiares ac propriæ. (cf. 1118 b 8 τῶν δ' ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν κοιναὶ δοκοῦσιν εἶναι, αἱ δ' ἴδιοι καὶ ἐπίθετοι) In illis, quæ sunt omnibus æque naturales, a paucis omnino peccatur et in unam modo partem, quo cum nimium eis indulgeant homines fiunt immoderati. Quare qui edendo bibendove ultra modum progrediuntur et plura concupiscunt, quam quæ naturæ desiderio poscantur, heluones vulgo dicuntur et servilem sequentes indolem beluarum instar eiusmodi res plurimi pendunt. In cupiditatibus vero propriis homines multifariam sic offendunt, ut præter rationem abrepti ad voluptatem iusto vehementiorem capiendam tendant, quam nisi consecuti fuerint acriter petitam, dolorem sentiunt propter incommodum ex ipsa voluptate profectum. Itaque accidit, ut qui iucundissima quæque cupienda sibi ducunt vel cupiditate perciti hæc ceteris potiora statuunt, fines circumscriptos excedant et appetentes, quoniam cuivis cupiditati dolor adhæret, et voluptatis impetrandæ spe privati doleant. (cf. 1119 a 3 διὸ καὶ λυπεῖται καὶ ἀποτυγχάνων καὶ ἐπιθυμῶν) His autem opponuntur alii ab altera parte vituperandi, qui cum nusquam fere inveniantur omnino

---

1. cf. Problem. XXVIII, 2. Eth. Eudem. III, 2. 1230, b οὐ γὰρ περὶ πάσας οὐδὲ περὶ ἅπαντα τὰ ἡδέα ὁ σώφρων ἐστίν, ἀλλὰ τῇ μὲν δόξῃ περὶ δύο τῶν αἰσθητῶν, περίτε τὸ γευστὸν καὶ τὸ ἁπτόν τῇ δ' ἀληθείᾳ περὶ τὸ ἁπτόν.

nomine carent. Tantus enim stupor, ex quo quis in voluptatibus petendis modum deserat minusque quam debet eis delectetur, in humanam naturam nititur nam vix quemquam omnis hilaritatis expertem esse credideris. Attamen ex usu comicorum homines isti, qui omni sensu destituti voluptates imo moderatas et necessarias aspernantur, etiamsi re vera non existunt, tristes et agrestes aliis locis nominantur. [1] (cf. 1119 a. 10 οὐ τέτευχε δ' ὁ τοιοῦτος ὀνόματος διὰ τὸ μὴ πάνυ γίνεσθαι. II, 7. 1107 b. 7.) Neque eo secius ea conditio, qua voluptates fugiendas esse cunctas existimant, ad rationem inter utrumque finem sitam propior accedit intemperantia, in quam multo nos præstamus propensiores. Virtus in mediis collocata vitiis temperantia vocatur, qua instructus vir temperans evadit ad voluptates et recte percipiendas et prætermittendas bene paratus. Is quidem in voluptatibus diiudicandis medium quiddam obtineat necesse est, ita ut ab intemperanti diversus, neque cum voluptatis indiget neque ab ea capienda cum prohibetur, ægre ferat. Dein propria penitus virtute imbutus facere nequit, quin cum eas quibus intemperans plurimum gaudeat res valde repudiet, tum quæ reiiciendæ videantur, effugiat. In acquirendis autem voluptatibus tantum abest, ut vehementiore quadam cupiditate pellectus modum transeat, ut rationis rectæ præceptis semper obsequens appetenda sumat, quæ ad valetudinem pertineant firmandam optimumque corporis habitum commode perficiendum. (cf. 1119 a 11—20 ὁ δὲ σώφρων—ὅσα δὲ πρὸς ὑγίειάν ἐστιν ἢ πρὸς εὐεξίαν ἡδέα ὄντα, τούτων ὀρέξεται μετρίως καὶ ὡς δεῖ κτλ.)

Disputatio hactenus perducta quamvis ad temperantiæ notionem explicandam sufficiat, tamen Aristoteles in ea non acquievit sed quæstionem lib. III inchoatam pressimque confectam lib. VII denuo repetiit omnibusque numeris absolutam reliquit, ita ut in disceptandis singulis sententiis ab initio hanc materiam aggrediatur. Ibidem disserendi via certius significata continentiæ ipsique contrariæ vitiositatis notiones sic constituit, ut virum continentem rationi firmiter addictum, incontinentem ab ea solutum designet. (cf. 1145 b. 10 καὶ ὁ ἐγκρατὴς καὶ ἐμμενετικὸς τῷ λογισμῷ καὶ ἀκρατὴς καὶ ἐκστατικὸς τοῦ λογισμοῦ) Tum quod hunc licet non ignorantem quas agat res esse malas tamen perturbatione quadam animi concitatum agere dicit, sequitur ut ille, quippe cupiditates turpissimas esse sibi persuadeat, rationi potius obtemperans eis resistat. At cum vir temperans indecoras saltem evitandas esse censeat, intemperans sibi concupiscendas, sæpius accidit, ut eis notionibus promiscue usurpatis multi temperantem eumdem haberi velint ac continentem, alii vero inter utrumque discrimen interesse contendant. (cf. 1145 b. 15—17) Quibus præmissis cap. III primam offensionem remoturus quærit, qui fieri possit, ut quis etiamsi de rebus recte sentiat tamen incontinenter vivat. Socratis enim placitum, ex quo incontinentiæ nullus omnino locus tribuendus est, quod nemo nisi ignorans male agat, plures erant secuti, quemquam nisi falsa cognitione instructum velut servum ad incontinentiam trahi negantes. Erant, qui ab una quidem parte Socrati adsentientes nihil esse scientia superius faterentur, alterum vero, quo nemo præter scientiam agere putaretur, diffiterentur, quoniam qui voluptate superatus incontinentem se præstaret non scientia sed opinione præditus videretur. [2]) At Socraticum illud non dubium est quin factis hominum plurimum adversetur, accedit quod, si qua ignorantia nasci confir-

---

1. cf. Eth. Eud. III, 2. μάλιστα δέ εἰσι τοιοῦτοι, οἵους οἱ κωμῳδοδιδάσκαλοι παράγουσιν ἀγροίκους, οἳ οὐδὲ τὰ μέτρια καὶ τὰ ἀναγκαῖα πλησιάζουσι τοῖς ἡδέσιν.
2. cf. Xen. Mem. Socrat. III, 9. 4.

mant incontinentiam, qualis sit inscitiæ modus, accuratius erit indagandum. Hanc igitur sententiam gravissimis argumentis reprobaturus ostendit, quæ voluptati resistat, non opinionem esse imbecillam sed scientiam firmissimam, cuius expers veniam facile impetraturus sit, qui vehementibus vexatus cupiditatibus sibi non constans agnoscatur. (cf. 1145 b 36—1146 a 3) Denique causis aliorum refutatis primam disputationis particulam ita concludit, ut quia multimodis incontinentes quidam dici soleant, subtilius inquirendum esse moneat, quibus rebus quis inconstans vel incontinens simpliciter sit appellandus. Antequam vero ad exprimendam ipsius incontinentiæ potestatem procedat, offensionem illam superiorem respiciens quæstionem præmittit, utrum scientia sit adiuncta incontinentiæ necne, tum si qua reperiatur, qualis hæc existimanda. Cum autem multi non minorem habeant fidem opinioni quam alii scientiæ velut Heraclitus ille, quem de rebus obscuris incertisque summa confidentia statuisse constat, ad hanc nihil refert quæstionem, utrum vera sit opinio an scientia, præter quam incontinenter quis agat. [1] (cf. 7, 5. 1146 b 24 et 25) Itaque minus inquirendum est, num sciens quis an opinans ita egerit, sed animo potius perpendendum, duas esse scientiæ species, prouti quis ea quidem præditus non utatur aut in agendis eis, quæ non agenda sint, eam adhibeat. Ex his patet, eos qui quamvis alicuius rei cognitionem satis adepti fuerint, tamen sive perturbationibus animi moti sive cupiditatibus incitati præter scientiam ad voluptates percipiendas impellantur, priori hominum generi esse adnumerandos. Eis enim plerumque accidit, ut etiamsi rationis rectæ præceptis aliquid fugere iubentur, tamen propter vehementes affectus evadant incontinentes et scientia tamquam destituti videantur. (cf. 1146 b. 31 sqq. ἀλλ᾽ ἐπεὶ διχῶς λέγομεν τὸ ἐπίστασθαι καὶ γὰρ ὁ ἔχων μὲν οὐ χρώμενος δὲ τῇ ἐπιστήμῃ καὶ ὁ χρώμενος λέγεται ἐπίστασθαι.) His vero, qui propter indolem nominantur ἀκρατεῖς, opponendos apparet eos, in quibus sicubi extiterint rationi cupiditates ita obtemperant, ut ne vehementes quidem oriantur. (ἐγκρατεῖς) Etenim cum malas esse cognoverint, scientiam partam non negligunt sed in singularibus quoque rebus a voluptate abhorrent fugienda et cupiditates a ratione perdomari malunt. Sic fere quod constanter agere consultoque quæ sunt facienda deligere consueverunt ad res perficiendas prudentes fiunt neque perturbationibus a recto agendi modo abripiuntur. Qua via in virtutibus definiendis auctor ubique ingressus est, eadem hoc quoque loco incessit. Itaque cum viri constantis esse doceat, in ratione permanere eamque utpote solam sequi ducem, inconstantes et eos dicendos elucet, qui quoniam corporis voluptates nimis concupiscunt, ab ea turpiter recedant, et eos qui cum parum illis voluptatibus studeant capiendis itidem rationem deserant. Quam ob causam si constantia in bonis vere numeranda est, ei contrarios habitus esse pravos facile conieceris.

Ad alteram continuo transitur expediendam dubitationem: utrum quis incontinens sit absolute declarandus, an qui tales se præbeant in certis tantum rebus inconstanter versentur. (cf. 1147 b. 20. πότερον δ᾽ ἐστί τις ἁπλῶς ἀκρατὴς ἢ πάντες κατὰ μέρος, καὶ εἰ ἔστι περὶ ποῖά ἐστι.) Non dubium est, quin constantia et inconstantia pertineant ad voluptates et dolores pariter ac temperantia et intemperantia notiones propinquæ. Quibus rebus gignatur voluptas iam supra docuit: sunt enim vel necessariæ, vel minus necessariæ tamen per se optabiles illæ sed

---

1. cf. Magna Moralia II, 6. 1201 b. 5. εἰ γὰρ ἔσται ἡ δόξα σφοδρὰ τῷ βέβαιον εἶναι καὶ ἀμετάπειστον, οὐθὲν διοίσει τῆς ἐπιστήμης δόξας ἔχουσι τῷ πιστεύειν οὕτως ἔχειν ὡς δοξάζουσιν, οἷον Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος τοιαύτην ἔχει δόξαν ὑπὲρ ὧν αὐτῷ ἐδόκει.

eiusmodi, ut in eis expetendis homines modum transgredi possint velut victoria, honor, divitiæ, similia, quæ bona et iucunda vulgo putantur. Quisquis igitur in his rebus fines ab ipsa ratione constitutos transit eiusdem legibus neglectis incontinens quidem nominatur neque vero simpliciter sed ita potius, ut quatenus vel pecuniæ vel lucro vel honori vel iræ nimis indulget, in his esse dicatur inconstans. Contra si quis corporis voluptates ex tactu gustuque profluentes ultra modum concupiscit et a doloribus fame, siti, frigore, calore natis præter scientiam recedit nulla alia voce adiecta simpliciter incontinens appellatur. (cf. 7, 6. 1147 b 23—34 ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ μὲν ἀναγκαῖα τῶν τοιούτων—τοὺς μὲν οὖν πρὸς ταῦτα παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ὑπερβάλλοντας τὸν ἐν αὑτοῖς ἁπλῶς μὲν οὐ λέγομεν ἀκρατεῖς, προστιθέντες δὲ τὸ χρημάτων ἀκρατεῖς καὶ κέρδους καὶ τιμῆς καὶ θυμοῦ.) Igitur vir inconstans et intemperans, quod ad utrumque eædem voluptatis et doloris species referuntur, iure comparantur at differunt diversa vivendi ratione, propterea quod hic intemperanter agere consulto, ille præter voluntatem in eum animi habitum delabi videtur. Quibus rebus voluptas paritur, earum nonnullas esse per se petendas, nemo est qui superiora contuens diffiteatur, alias omnino spernendas, alias his interiectas optabiles et iucundas. Itaque cupiditatum voluptatumque species quasdam bonas et honestas merito dixeris, quo fit, ut quicumque has adipiscendas delegit non propter amorem sed nimium persequendi studium reprehendi videatur. Neque tamen eo secius, quamquam complures res velut honor, liberi, parentes in bonis habentur ipsorum causa petendis, diligenter nobis cavendum est, ne maiore quam ratio suadeat eorum teneamur amore, sed id potius spectandum ut in illis parandis rectam sequentes rationem collaudemur. (cf. 7, 6. 1148 a 23—32 τῶν γὰρ ἡδέων ἔνια φύσει αἱρετά, τὰ δ' ἐναντία τούτων, τὰ δὲ μεταξύ—πρὸς ἅπαντα δὲ καὶ τοιαῦτα καὶ τὰ μεταξὺ οὐ τῷ πάσχειν καὶ ἐπιθυμεῖν καὶ φιλεῖν ψέγονται ἀλλὰ τῷ πως ὑπερβάλλειν.) Aliæ tum præter illas proponuntur res iucundæ, quæ cum per se non bonæ iudicentur partim ex mutilato corporis habitu partim consuetudine et indole vitiosa delectabiles fiunt. Huc præcipue respiciunt istius exempla feritatis in genere quidem humano perraræ apud barbaros tamen quosdam usitatæ, quam in alio vitiosa natura in alio morbis gravissimis aut consuetudine prava interdum effici constat. (cf. 7, 7. 1148 b 15—29. cp. 15. 1154 a 32. Rhet. 1, 10. 1369 b 17. πολλὰ γὰρ καὶ τῶν φύσει μὴ ἡδέων, ὅταν ἐθισθῶσιν, ἡδέως ποιοῦσιν. 1370 a 13.)

Hactenus de singulis cap. II dubitationibus quæstione perducta eas ad notiones quæ sæpe commutantur distinctius definiendas transgressus Aristoteles partitionem voluptatum iam prius (cp. 6) indicatam primum repetit. Etenim quæ ibi de rerum iucundarum divisione constituenda disseruntur, ad distinguendas voluptatis species iure possunt adhiberi, quo fit, ut hic ex voluptatibus aliæ necessariæ nec eæ nisi ad certum usque finem aliæ supervacaneæ proferantur. In his appetendis vel evitandis duplicem agendi rationem homines sectantur, nam sunt, qui dum voluptates inmoderatas aut inmoderate petunt et a corporis doloribus quam maxime abhorrent, non imbecillitate sed consilio ducti neque alius rei causa sed ipsorum gratia faciant. (ἀκόλαστοι) Contra qui neque consulto neque cogitato agunt, aut voluptatibus aut timore dolorum cupiditate nascentium impelluntur, quorum alteri propria animi indole inconstantes alteri molles (μαλακοί) existunt, illi viris constantibus hi firmis ac patientibus oppositi. (καρτερικοῖς) Quemadmodum vero constantia in superando maxime conspicua superior est firmitate ad resistendum potius accommodata; sic deteriorem esse liquet inconstantia mollitiem, nam qui a molestiis quibus plerique obsistunt turpiter opprimuntur,

eis propter talem habitum merito non ignoscitur. (cf. 7, 9. 1150 a 32—b 3. ἀντίκειται δὲ τῷ μὲν ἀκρατεῖ ὁ ἐγκρατής, τῷ δὲ μαλακῷ ὁ καρτερικός· ὁ δ' ἐλλείπων πρὸς ἃ πολλοὶ καὶ ἀντιτείνουσι καὶ δύνανται, οὗτος μαλακὸς καὶ τρυφῶν καὶ γὰρ ἡ τρυφὴ μαλακία τις ἐστιν.) In eorum numerum præter homines illos effeminatos referendi sunt, qui cum remissionem et quietem quærant ludis iocisque magnopere se dedunt. (cf. 1150 b 17—19) Inconstantia vel præmatura festinatione vel imbecillitate gignitur, alios enim velut eos præcipue, qui ingenio acri et melancholico instructi propter celeritatem atque vehementiam imaginibus animi speciosis regi quam rationem opperiri malint, cupiditatibus perturbatos in consilio suscepto non permanere, quamvis secum reputaverint—alios quod neque cogitarunt prius neque deliberaverunt perturbatione statim intelligimus commoveri. (cf. 7, 8. 1150 b 19—28. 7, 11. 1152 a 25—30.) Denique cum virum intemperantem in sententia sua nimirum perstantem propositi numquam pœniteat, vir incontinens quatuor de causis melior existimandus est: primum quod, cum pœniteat eum factorum, remediis allatis sanari potest et veriorem adeptus cognitionem prohiberi, quominus voluptates cum natura pugnantes neve immodicas persequatur: tum quia non perpetuo adhæret improbitati, dein quod, quippe non lateat eius affectus, in numero hominum vitiosorum omnino non est ponendus, postremo quoniam rectam cogitandi rationem optimam vitæ ducem plerumque servat incorruptam. (cf. 7 cp. 9)

Ad Aristotelis de voluptate doctrinam apte proponendam, quæ superiore loco prolata sunt, paucis in mentem revocare non alienum est. Cum ethica quæstio plurimum respiciat voluptatem naturæ humanæ tam penitus insitam, ut omnes homines eam petant et ad virtutem nisi cupiditatibus malis oppressis pervenire nequeant, iuvenes sic instituendi sunt, ut in cupiditatibus explendis et captandis voluptatibus rationi non obnitantur. Quod autem ad mores puerorum conformandos multum valet, ut quibus rebus recte gaudendum sit vel dolendum cum industria discant, id quod et per totam vitam cernitur et ad felicitatem conciliandam summi momenti est, idem ad cives quoque gubernandos haud dubie pertinet. Quo fit, ut hæc de voluptate quæstio cum philosophiam ethicam tum politicam attingat, nam qui tamquam societatis humanæ perfectores civili prudentiæ studium impendere se profitentur, ipsi summum statuant finem oportet, cuius ratione habita singula quæque bona vel mala simpliciter exhibentur. Itaque voluptas et dolor in hominibus et in civitate quanto maiorem vim exercent, ita ut plurimi vitam beatam cum voluptate coniunctam esse arbitrentur, eo subtilius Aristoteles utramque rem perquisivit, præsertim cum sententiæ philosophorum maxime discrepare videantur. (cf. 7, 12 in. 10. 1.) Post Socratem duæ sectæ ex illius institutione dimissæ tum vero diversas in partes digressæ de voluptate disputaverunt. Aristippus enim eiusque discipuli voluptatem summum esse bonum vitæque finem contendunt, contra Antisthenes quique placitis eius fuerunt addicti omnem voluptatem quodam modo tollendam censent. Illi, quos dicunt Hedonicos, voluptatem pro bono haberi minus eam volunt, qua quis a doloribus vacuus fruatur, quam quæ re vera præsto sit, minus eam quæ a felicitatis statu profecta totam quasi vitam complectatur, quam quæ quolibet temporis momento capiatur. Qua re conficitur, ut omnis voluptas in bonis ponenda sit, et quod pravæ voluptates natura numquam oriantur, eæ non specie sed gradu potius inter se differant. Antisthenes vero eiusque sectatores, quorum doctrinam Aristoteles censura subtiliore dignam putavit, quamvis omni fere voluptatis genere repudiato virtutem solam propter se ipsam petendam ad beatitudinem

sufficere docerent, tamen doloris absentiam summum bonum ducebant et voluptatem nullam comprobabant, nisi quæ labore conciliaretur et industria. At in his priorum philosophorum sententiis disceptandis forsitan miretur quispiam, quod Platonis, quem pluribus dialogis eisque gravissimis de voluptate scripsisse scimus, neque hoc loco neque lib. X nisi brevissime mentio facta sit. Idcirco quæ superiore commentatione leguntur, a multis ad sententiam Platonis refellendam in Philebo librisque de re publica propositam revocantur. Novissimis autem quæstionibus, quas in Antonii dissertatione deinceps collectas invenies, dubitari nequit, quin prima disputationis Aristotelicæ pars Antisthenem eiusque discipulos ne nominatim quidem memoratos respiciat. Neque vero eo secius accidit, ut doctrinam Platonis qui cum reliquorum tum Antisthenis opiniones scite perscrutatur hic illic tangat et argumentis iniectis refutare videatur. Cum Antisthenis igitur de voluptate præceptis haud male concinunt, quæ primum animo perpendere auctor instituit dicens: esse quibus nulla voluptas bonum appareat neque per se neque ex eventu, (κατὰ συμβεβηκός) quia non idem sit bonum ac voluptas: aliis complures quidem videri pro bonis ducendas, plerasque vero malas. Alii denique, licet cunctæ in bonorum numero sint habendæ, tamen fieri non posse confirmant, ut maximum bonum putanda sit voluptas. Ad Aristippum, secundum quem vivendi agendique finis in voluptate petenda consistit, tales opiniones, quibus voluptates vel omnino respuendæ vel certe non sumendæ dicuntur, manifesto cadere nequeunt sed ad Antisthenem voluptati inimicissimum apte referuntur, qui teste Diog. Laert. (VI, 3) identidem iactasse traditur μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. Accedit, id quod Antonius satis ingeniose perspexit, cum hæc verba οὐ γὰρ εἶναι ταὐτὸν ἀγαθὸν καὶ ἡδονήν argumentum contineant primæ sententiæ subiectum, ut is dicendi modus ab Antisthenis doctrina cognoscendi, qua ullam ullius rei definitionem afferri posse negavit, tacite ductus videatur.

Quemadmodum Plato adversus eos, qui felicitatem in doloris vacuitate ponebant, non in Philebo solum sed in libris quoque de Re publica acriter pugnat, sic Aristoteles ad infringendas adversariorum causas ab ipso in brevem conspectum consertas statim procedit, in quarum recensione sententiam suam explicat. Commemorantur primæ sententiæ rationes sex etiam in Magn. Mor. mutato quidem ordine traditæ, quibus Antisthenes voluptatem non esse bonum demonstrat: a, quod omnis voluptas ortus sit, qui sensu aliquo percipiatur et naturæ spectet habitum, at nullum aiunt ortum finibus eo confectis cognatum esse velut nullam ædificationem ædibus ipsis: b, quod vir temperans fugiat voluptates: c, quod prudens non voluptatem sed doloris vacuitatem quærat: d, quia deliberandi facultas impediatur voluptate tantoque plus, quo vehementior existat: e, quod omne bonum oriatur ex arte peculiari, voluptatis autem nulla sit ars: f, quod pueri bestiæque voluptatem persequantur.

Platonem scimus Aristippo, qui voluptatem in motu versari dicebat, [2]) luculenter adsentientem eam in bonis non habuisse, quocirca Trendelenburgius (cf. de consilio Philebi pg. 9) Aristotelem istos Platonis locos respexisse iure suspicatur. Quibusnam argumentis Antisthenes usus fuisse videatur, ex vetustiorum interpretum explicationibus clarius fortasse apparuerit. (cf. Zell. in comment. pg. 303) Eadem fere significantur in Magn. Mor. cf. II, 7:

---

1. cf. Anton l. l. pg. 6. Zeller Geschichte der Philosophie 2, 115 Anmerk.
2. cf. Diog. Laërt. II, 85 τέλος δ' ἀπέφαινεν τὴν λείαν κίνησιν εἰς αἴσθησιν ἀναδιδομένην. II, 86. τὴν μὲν λείαν κίνησιν ἡδονήν, τὸν δὲ πόνον τραχεῖαν κίνησιν.

πρῶτον μὲν γάρ φασιν εἶναι τὴν ἡδονὴν γένεσιν, τὴν δὲ γένεσιν ἀτελές τι, τὸ δ'ἀγαθὸν οὐδέποτε τὴν τοῦ ἀτελοῦς χώραν ἔχειν: ubi cum voluptas imperfectæ rei locum teneat, bonum esse negatur, et lib. X cp. 2, ubi bono tamquam rei perfectæ absolutæque motus et ortus ut imperfectæ cuiusdam rei proprii opponuntur. Quibus non dubium est quin Platonis sententia stringatur, quem Aristippi doctrinam de motu disputantis tantum comprobasse intellexit Antonius (pg. 13) quatenus ortus consistat in motu. Itaque cum lib. VII de voluptate, quæ ortu contineatur, in universum dicatur, lib. X ad Platonis sententiam accuratius illustrandam ortus et motus tam arcte connexi sunt, ut seiungi nequaquam possint. (cf. 1173 a 29 τέλειόντε τ'ἀγαθὸν τιθέντες τὰς δὲ κινήσεις καὶ τὰς γενέσεις ἀτελεῖς, τὴν ἡδονὴν κίνησιν καὶ γένεσιν ἀποφαίνειν πειρῶνται) Hoc igitur argumentum ab Aristippo usitatum, dein ab Antisthene et a Platone ad illum redarguendum pariter adhibitum ab Aristotele ita tractatur, ut voluptatem nec ortum nec motum esse evincat. Quod quidem facturus boni partitionem cp. 6 paucis indicatam iterum instituit, nam quia duplici modo aliquid bonum appellatur, et quod omnibus bonum est et quod singulis, (τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς τὸ δὲ τινί) [2] idem ad naturas et habitus, ad animi motus et ortus affectuum referatur oportet, (φύσεις, ἕξεις, κινήσεις, γενέσεις) unde sequitur, ut ea partim omnibus partim singulis bona iudicentur. Ad motus ortusque malos iam progressus describendos, dum bonorum divisionem lectori supplendam reliquit, eorum alios aut simpliciter malos, cuipiam autem homini non malos imo quibusdam optabiles esse docet, alios neque singulis bonos nec optabiles nisi quando vel per breve tantum temporis spatium expetendos, qui etiamsi voluptatis speciem præ se ferant, tamen in voluptatibus ne numerari quidem possint, nempe quotquot voluptates cum dolore coniunctæ propter curationem admitti soleant. Ex his igitur si conclusionem elicueris Paraphrastæ verbis distinctius enucleatam hæc auctorem sibi voluisse haud difficulter intelliges. Quemadmodum affectus aliquot per se mali dicuntur, sic quosdam simpliciter bonos esse liquet, atqui voluptas in affectibus ponitur; errant ergo, qui nullam voluptatem in bonis habendam esse censent. καὶ αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι εἶναι αἱ μὲν ἁπλῶς φαῦλαι τινὶ δ'οὔ ἀλλ'αἱρεταὶ τῷδε, ἔνιαι δ'οὐδὲ τῷδε ἀλλὰ ποτὲ καὶ ὀλίγον χρόνον, αἱρεταὶ δ'οὔ. αἱ δ'οὐδ' ἡδοναί, ἀλλὰ φαίνονται, ὅσαι μετὰ λύπης καὶ ἰατρείας ἕνεκεν, οἷαι αἱ τῶν καμνόντων. [2] Itaque qui superiorem cp. VI partitionem meminerit, secundum quam res vel absolute iucundæ vel quibusdam delectabiles dicebantur, eamdem hic aliquatenus iterari mecum consentiet. Neque minus apparet his verbis et aliis, quæ sunt in fine huius capitis scripta, corporis voluptatem comprehendi πῶς ἀγαθαὶ ἁπλῶς—καὶ πῶς οὐκ ἀγαθαὶ πᾶσαι αἱ ἡδοναί (αἱ μετ' ἐπιθυμίας καὶ λύπης καὶ αἱ σωματικαὶ τοιαῦται γὰρ αὗται καὶ τὰς τούτων ὑπερβολάς.

Duobus voluptatum generibus ex bonorum similitudine constitutis alteram boni divisionem, (τοῦ ἀγαθοῦ τὸ μὲν ἐνέργεια τὸ δ'ἕξις) [3] prout aut in hominis constanti perpetuoque animi habitu (ἕξει) aut in singulis tantum actionibus (ἐνεργείαις) cerniter, bipartitam eamdem subiicit, cum qua divisione duæ voluptatum species iterum arctissime cohærent, de quibus una pertinet ad eas potissimum res, quæ dissoluta corporis harmonia ad restituendum naturalem

---

1. cf. Eth. Nic. 1129 b 3 Top. 115 b 33. 116 b 8.
2. Locus est difficilis diversisque interpretum explicationibus valde contortus. Quæritur enim, utrum cum Latinis tripartita voluptatum malarum partitio sit accipienda an Paraphrastæ rationi maior fides habenda bipartitam probantis. Qua de re Zellius in comment. pg. 307 tam scite disseruit, ut in eius iudicio queat acquiesci.
3. cf. 1157 b 6 ὥσπερ δ'ἐπὶ τῶν ἀρετῶν οἱ μὲν καθ'ἕξιν οἱ δὲ κατ' ἐνέργειαν λέγονται.

habitum aptæ nisi per accidens non iucundæ apparent. Hæc actio cupiditatibus excitata et turbato habitu nata tendit ad explendum naturæ desiderium, quo fit, ut eiusmodi affectus non vere sed per accidens tantum sint appellandi voluptates. Contra sunt puriores et ex integro profectæ habitu, quæ neque cum cupiditate neque cum molestia iunctæ, nullo præcedente dolore, non propter aliquam naturæ inopiam sed ipsarum causa percipiuntur. (ἔστι δ' ἡ ἐνέργεια ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ὑπολοίπου ἕξεως καὶ φύσεως, ἐπεὶ καὶ ἄνευ λύπης καὶ ἐπιθυμίας εἰσὶν ἡδοναί, οἷον αἱ τοῦ θεωρεῖν ἐνέργειαι, τῆς φύσεως οὐκ ἐνδεοῦς οὔσης) Utrasque vero discernendas esse perspicuo satis indicio est, quod eæ quibus pariuntur voluptates res plane diversæ sunt, prout aut natura satiata est aut in explendo desiderio versatur. Homines enim non eisdem rebus delectantur aliquo indigentes et ad statum cum natura convenientem reducti, sed corporis cupiditate saturata eis maxime gaudent, quæ sunt simpliciter iucunda cunctisque præbent voluptatem, desiderium vero demum expleturi ex rebus quoque contrariis, quæ nec absolute delectabiles nec per se sunt expetendæ, sæpe voluptatem capiunt. (cf. Paraphr. explic. in Zell. comment. pg. 311) Igitur quam rationem singulæ iucundi species habent, ea necesse est utantur voluptates cum illis consentaneæ, tantumque abest, ut corporis voluptas inopiæ molestiisque adiuncta bonum sit, ut ne voluptatibus quidem proprie dicendis attribui queat. Simillimam partitionem lib. X cp. II proponit, quo loco adversus eos disputat, qui voluptatem in tollenda inopia naturæ cerni putant. Quorum opinionem primum ita diluit, ut tales affectus [1]) ad corporis habitum revocandos esse confirmet. Porro si voluptas esset expletio rei ad naturam accommodatæ, fieri non posse concludit, quin in ea hominis parte quæ expleretur locum haberet. At quamquam corporis est inopia, tamen eius expletione facta lætatur animus. Ergo voluptas non est expletio, sed gignitur, si naturæ desiderium expletio sequitur, in illo voluptas eadem ratione, qua molestiæ innascuntur animo, si corpus secatur et doloribus vexatur. Deinde præterquam quod hæc sententia a voluptatibus tactu gustuque paratis hausta fuisse videtur (homines enim sitientes aut esurientes primo dolorem sentiunt tum desiderio satiato edendo bibendove lætantur) aliæ reperiuntur voluptates, in quibus percipiendis præcedit dolor, velut ab omni molestia vacuus quispiam rerum mathematicarum [2]) cognitione gaudeat aut eis oblectetur rebus, quas conspiciat vel audiat quas meminerit et speret. In earum numerum voluptatem quoque revocandam ait ex odoratu profluentem, quam et Plato eis, quæ dolore non prægresso capiantur, loco præclaro accenseri voluit. (cf. de Republ. IX, 9. pg. 332 ed. Ast.) Denique cum nulla præcesserit inopia per illas demum expleta, quales eas spectemus res, quarum γενέσεις eiusmodi voluptates sint, plane non intelligitur. cf. X, 2. καὶ λέγουσι δὲ τὴν λύπην ἔνδειαν τοῦ κατὰ φύσιν εἶναι, τὴν δ' ἡδονὴν ἀναπλήρωσιν, ταῦτα δὲ σωματικά ἐστι τὰ πάθη.—τοῦτο δ' οὐ περὶ πάσας συμβαίνει τὰς ἡδονάς· ἄλυποι γάρ εἰσιν αἵτε μαθηματικαὶ καὶ τῶν κατὰ τὰς αἰσθήσεις αἱ διὰ τῆς ὀσφρήσεως, καὶ ἀκροάματα δὲ καὶ ὁράματα πολλὰ καὶ μνῆμαι καὶ ἐλπίδες. τίνος οὖν αὗται γενέσεις ἔσονται· οὐδενὸς γὰρ ἔνδεια γεγένηται, οὗ γένοιτ' ἂν ἀναπλήρωσις. Nec aliter in Magn. Mor. [3]) ubi duobus illis voluptatum generibus distinctis qui philosophando studet molestiis minime prægressis ea re valde delectari dicitur. His Platonis impugnari

1. cf. Zellius in commentario pg. 440.
2. cf. Top. 106 a 37 - b 1 οἷον τῇ μὲν ἀπὸ τοῦ πίνειν ἡδονῇ ἡ ἀπὸ τοῦ διψῆν λύπη ἐναντίον· τῇ δ' ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν ὅτι ἡ διάμετρος τῇ πλευρᾷ ἀσύμμετρος οὐδέν, ὥστε πλεοναχῶς ἡ ἡδονὴ λέγεται.
3. cf. II, 7. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς διανοίας ἔστι θεωροῦντά τι ἥδεσθαι ἄνευ τοῦ προλυπηθῆναι.

doctrinam præ ceteris Zellius in universum recte perspexit, neque aliud quicquam ex locis aliquot Philebi collatis coniicies, nam quæ ibidem leguntur (cf. pg. 31 D πάλιν δὲ ἁρμοττομένης τε καὶ εἰς τὴν αὑτῆς φύσιν ἀπιούσης ἡδονὴν γίγνεσθαι λεκτέον. pg. 42 D εἰς δέ γε τὴν αὑτῶν φύσιν ὅταν καθιστῆται ταύτην αὖ τὴν κατάστασιν ἡδονὴν ἀπεδεξάμεθα παρ' ἡμῶν αὐτῶν.) [1] pro certo testari videntur, Platonem prius modo voluptatum genus agnovisse, præsertim cum Platonis illud κατάστασις εἰς τὴν φύσιν, qua restitutus omnium partium concentus indicatur, accuratissime respondeat Aristotelis enunciato αἱ καθιστᾶσαι εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν. At quisquis mente perlustraverit istius sententiam de puris bonisque cupiditatibus expressam, quas ipse propter indolem simplices et veras nominat, et in quibus boni naturam maxime conspicuam ostendit, is quidem sibi dissensisse Platonem fortasse contenderit, puras autem voluptates easque proprias, quarum alteras ad res sensuum perceptioni subiectas alteras ad artium et literarum cultum atque sapientiam referri dicit, ei minus ignotas fuisse non diffitebitur scribenti Phil. pg. 52 B ταύτας τοίνυν τὰς τῶν μαθημάτων ἡδονὰς ἀμίκτους τε εἶναι λύπαις. Quibus in definiendis elucet Aristotelem plurimum consentire cum Platone, qui voluptates istas integras neque cum dolore desiderari nec in explendo desiderio secum ferre dolorem docet, eoque magis quo lucidius universo earum generi non solum eas accensendas esse putat, quæ literis artibusque tractandis proveniant sed etiam quæ ex coloribus, formis, sonis omnis doloris immunes hauriantur. (cf. Phil. pg. 50 E)

Quæstionem supra institutam tum de industria interruptam nunc denuo recipit et inchoatam ita absolvit, ut prima sententiæ principis causa et tertia opinione connexis (ἔτι δὲ τούτων τρίτον, εἰ καὶ πᾶσαι ἀγαθόν, ὅμως μὴ ἐνδέχεσθαι εἶναι τὸ ἄριστον ἡδονήν) subtili ingenio evincat non oportere aliquid voluptate præstabilius, id quod in primis a Platone gravioribus argumentis confirmatum novimus. Is enim non totum licet voluptatis genus repudians imo quasdam enixe comprobans tamen voluptatem mente scientiaque multo deteriorem ducit; quam ob rem vix quispiam mirabitur, quod suam secutus rationem eam pro summo bono haberi posse negavit. Quibus motus causis Plato ab Aristippi doctrina tanto opere abhorruerit, tamque humilem voluptati concesserit gradum, ex loco Philebi præclaro mox intelligitur. (cf. Phil. pg 51 D Οὐκοῦν — τῷ μηνύσαντι τῆς ἡδονῆς πέρι τὸ γένεσιν μέν, οὐσίαν δὲ μηδ' ἡντινοῦν αὐτῆς εἶναι χάριν ἔχειν δεῖ.) Nam ibidem velut in eis, quæ proxime præcedunt et insequuntur, postquam in rerum natura discernendas esse generationem et essentiam (γένεσιν et οὐσίαν) docuit, id potissimum agit, ut voluptatem, quæ suum sibi finem non habeat propositum sed essentiæ causa semper existat et ad eam tendat, in bonis numerari non posse demonstret. [2]) Quam sententiam, qua quæque voluptas in generatione motuque cernatur, dum lib. VII cp. 2 paucis refellit, voluptatem potius oriri ostendit, si quid ex habitu perfecto extiterit quam si quid fiat, ita ut actionem comitetur. Accedit quod ne omnes quidem cum ortu (μετὰ γενέσεως) coniunctæ sunt, imo multæ magis ad actum provectæ finem in se suum tenent inclusum exceptis eis quæ quoniam naturæ desideriis explendis inserviunt alterius rei finem petunt. Errant igitur, qui voluptatem ortum cum sensuum perceptione nexum definiunt, contra rectius eam habitus actionem cum natura congruentis non impeditam dixeris. αἰσθητὴ γένεσις—

1. cf. Ant. l. l. pg. 7 et 14. Stallb. in proleg. ad Philebum pg. 50. Steinharti Proleg. in Phileb. pg. 48.

2. cf. Stallb. proleg. in Phil. pg. 57.

ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος [1])

Voluptatem igitur cum generationem dici posse negaverit, cur nec motus sit nec ortus lib. X cp. III uberius comprobat, quam ob causam falluntur, qui bono utpote rei perfectæ

---

1. cf. Zell. in comment. pg. 314. Ab hac definitione cum in Magn. Mor. constanter servata tum in lib. X cp. 4 argumentatione ampliore sustentata tanto opere discedunt. quæ in Rhet. 1. 11. 1369 b 33 sqq. de circumscribenda voluptate proponuntur, ut magis Platonis quam Aristotelis doctrinam sapere videantur: ὑποκείσθω ἡμῖν εἶναι τὴν ἡδονὴν κίνησίν τινα τῆς ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν, λύπην δὲ τ'οὐναντίον. Ad quam difficultatem tollendam quæ Zell. l. l. attulit, vereor ut ad Aristotelem omni negligentiæ crimine vindicandum sufficiant, quamquam enim discriminis aliquid interesse non latet inter κίνησιν et γένεσιν, tamen primum quod voluptas κατάστασις αἰσθητή in naturam facta vocatur, definitioni modo prolatæ haud dubie repugnat, dein lib. X voluptatem neque γένεσιν neque κίνησιν esse copiosius evincitur. Neque minus eis quæ lib. VII cp. 13 traduntur et codd. conspiratione prodita sic leguntur: δοκεῖ δὲ γένεσίς τις εἶναι, ὅτι κυρίως ἀγαθόν. τὴν γὰρ ἐνέργειαν γένεσιν οἴονται εἶναι, ἔστι δ'ἕτερον - iure quispiam offenderit, quod sententiarum nexus magis turbari quam declarari videtur. Quæ vetustiores interpretes, quorum explanationes Zell. in comment. pg. 314 et 315 integras reddidit et absolutas, ex hoc enunciato coniecerunt, ea non ad Antisthenem vel ad Platonem pertinent sed ad alios refutandos, qui ut ait Michelet. in comment. pag. 248 voluptatem ideo esse generationem putaverunt, quod sit proprie bonum, proprie autem bonum muneris functionem (ἐνέργειαν), quæ in unam coalescat notionem cum generatione. (Paraphr. τὸ δὲ κυρίως ἀγαθὸν ἐνέργειαν εἶναι. — Aspas. ἐπεὶ ἡ ἐνέργεια κυρίως ἀγαθόν ἐστι) Quos Aristoteles intellexerit voluptatem bonis accensere non satis perspicue cognoscitur, at præterquam quod reliqua δοκεῖ δὲ γένεσις rem continent iam sæpius iteratam in tali vocabulorum nexu perambiguum est, utrum quod γένεσις dicitur ad ἐνέργειαν proxime præcedentem an ad ἡδονήν vocem longinquiorem sit revocandum; tum si eam, quam illi voluerant, conclusionem eliciendam putaveris, alio modo instituenda fuit oratio, quæ necessario membro prorsus omisso manca efficitur et obscura, nam si voluptas appellatur ortus, propterea quod est proprie bonum, hoc sequitur ut consistat in generatione, sive cum γένεσις idem sit atque ἐνέργεια in muneris functione; denique, cum in eis maxime refutandis auctor versetur, qui quod voluptatem pro generatione haberent, eam summum bonum esse negabant, Giphanii coniecturam a Zellio laudatam ita comprobare non dubito, ut non hæc tantum tria verba ὅτι κυρίως ἀγαθόν inducantur sed totus locus in suspicionem vocandus mihi videatur.

Simillima argumentatione usus Magn. Mor. auctor primum ostendit, inveniri voluptates eas, quæ cum ex inopia vel molestia præcedente non prodierint ad explendum desiderium non attineant (ἡ γὰρ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν ἡδονὴ γιγνομένη οὐκ ἔστι γένεσις—οὐ γὰρ ἐξ ἐνδείας γενομένη.) In harum numerum et eæ referendæ sunt, quæ licet sensibus capiantur tamen neque cum inopia neque ægritudine coniunctæ ortus dici nequeunt; ἡ ἀπὸ τοῦ ἀκοῦσαι καὶ ὀσφρανθῆναι - ἐπὶ δέ γε τοῦ ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι καὶ ὀσφρανθῆναι οὐκ ἔστι προλυπηθῆναι. Tum postquam ne istas quidem voluptates, quæ gustu comparatæ (αἱ ἀπὸ τοῦ φαγεῖν καὶ πιεῖν ἡδοναί) et satiatas sequantur cupiditates et præcedentes habeant molestias, vere γενέσεις nominandas esse monuit, falsam voluptatis definitionem ab eis proferri censet, qui ἀποκατάστασιν εἰς φύσιν αἰσθητήν eam velint circumscriptam. Quam accurate ad utramque Aristotelis disputationem se applicuerit auctor, universa commentandi ratione statim apparet, nam ab eorum confutatione profectus, qui voluptatem ortum esse contendebant, istius falsæ sententiæ fontem inde derivandum esse declarat, quod ἡδονήν in explendo λύπην in egendo ponant. At novum quiddam affertur, si dolor non solum inopia sed ea quoque re quod supra modum exceditur, oriri(ἡ δ'ἔνδεια καὶ ἡ ὑπερβολὴ λύπη) atque voluptas et inopia sublata et eo quod modum transgreditur desumto nasci dicitur. (αὗται μὲν γὰρ ἐξ ἐνδείας καὶ ὑπερβολῆς γίνονται, τῷ ἢ τὴν ἔνδειαν ἀναπληροῦσθαι ἢ τῆς ὑπερβολῆς ἀφαιρεῖσθαι) Neque minus eos in talem opinionem delapsos esse docet, propterea quod cum prolatis rebus (τῆς προσφορᾶς γινομένης) voluptas efficiatur hanc ob causam ortum esse censeant.

voluptatem tamquam rem imperfectam opponunt. Locos aliquot Philebi, quibus et Antisthenes perstringitur et ipsius doctrina Platonis agnoscitur, haud dubie spectans, [1]) quod omnis motus aut celer aut tardus significetur, neutrum in voluptatem cadere demonstrat. Quamquam enim, velut aliquem celeriter euntem vel ira celeriter exardescentem conspicias, quominus ad percipiendam voluptatem cito quis trahatur, nihil impedit, tamen fieri sane nequit, ut celeriter ea fruatur vel in oblectando tarde versetur neque per se neque alius rei ratione habita. Motus nimirum ad voluptatis declarandam potestatem tantum valet, quantum celerius aut tardius ad eam transiri potest; eius autem actus (ἐνέργεια) quo sentiatur oportet, a motu saltem non pendet. (ἐνεργεῖν δὲ κατ' αὐτὴν οὐκ ἔστι ταχέως, λέγω δ' ἥδεσθαι.) [2]. Quæ quidem quæstio, qua voluptatem non esse motum evincit, tum demum absolvitur, postquam quibus in rebus cernatur motus compluribus exemplis acutius expressit. Etenim quod de conspectu satis constat, qui quolibet temporis momento perfectus existit, si quidem nullius indiget rei, qua post addita perfectior efficiatur, id ad voluptatem quoque adhibendum videtur, unde sequitur, quia totum quiddam intelligitur atque integrum neque quisquam sentit eam, quæ si diutius extendatur etiam magis perficiatur, ut voluptas motus esse nequeat. Qui fiat, ut omnis motus tempori sit subiectus et ad finem propositum dirigatur, deinde duobus confirmat exemplis: alterum ab ædificanda domo repetitum, alterum a variis istis quibus loci mutatio indicatur rationibus desumptum. [3]) Nam cum ædis ædificatio, quatenus ad destinatum finem nihil desideratur, eatenus perfecta sit et absoluta, quæ singulis huius temporis partibus suscipiuntur, actiones velut lapidum coagmentatio, columnarum striatura et ornamentum — cunctæ sunt imperfectæ specieque inter se et ab illa diversæ. Nullam omnino actionem, quæ sub motum cadat, in ullo temporis puncto perfectam sumi posse sed in illo tantum universo tempore, quo motus cernatur, etiam clarius intelligitur ex eis, quæ de tribus loci commutandi modis disseruit. Motus non momento quovis est perfectus, imo plurimi sunt imperfecti et tum demum perficiuntur, cum perpetuitate quadam temporis eo, quo tenditur, perventum est. [4]) Voluptas autem cum quolibet momento perfecta sit, ab eis actionibus, in quibus motus apparet, manifesto differt eisque rebus, quæ totum quiddam et absolutum repræsentant, aperte adiicienda est, id quod auctor argumento prompto demonstrat motum ex tempore pendere dicens, quia nisi certo temporis spatio fingi nequeat, voluptatem vero quæ semper totum sit ac perfectum a tempore posse seiungi. Quibus de causis eorum sententia

1. cf. Stallb. ad Phil. pg. 53 C. Anton. l. l. pg. 13.

2. Propter inæqualem motum efficitur, ut res modo celerius modo tardius moveri videatur, contra qui motus semper aequalis est sibique constans, neutrum apparet sed nonnisi comparatis aliis vel incitatus vel remissus nominari potest. Sic mundus volvitur motu per se quidem aequali, tamen si cum stellarum cursibus contenderis celeriter movetur. cf. Zell. in comment. pag. 430.

3. Motum Aristoteles cum in aliis libris tum in Physicis uberius tractat, ubi tria genera discernuntur: cf. Phys. VII, 2. 243 a 6—10 ἐπεὶ δὲ τρεῖς εἰσι κινήσεις, ἥτε κατὰ τόπον καὶ κατὰ τὸ ποιὸν καὶ κατὰ τὸ ποσόν, ἀνάγκη καὶ τὰ κινούμενα τρία. ἡ μὲν οὖν κατὰ τόπον φορά, ἡ δὲ κατὰ τὸ ποιὸν ἀλλοίωσις, ἡ δὲ κατὰ τὸ ποσὸν αὔξησις καὶ φθίσις — αὕτη (φορά) γὰρ πρώτη τῶν κινήσεών ἐστιν. τῆς δὲ φορᾶς tres memorantur species πτῆσις - βάδισις - ἅλσις. cf. Trendel. de anima pg. 245. De notione motus ex Physicis hausta ἥτε κίνησις ἐνέργεια μέν τις εἶναι δοκεῖ, ἀτελὴς δέ vide Trendel. l. l pag. 304.

4. cf. Metaphys. IX cp. 6 apud Trendel. pg. 305. πᾶσα γὰρ κίνησις ἀτελὴς ἰσχνασία, μάθησις, βάδισις οἰκοδόμησις — αὗται δὲ κινήσεις ἀτελεῖς γε.

qui voluptatem motum esse contendunt improbatur, at errant itidem qui generationem definiunt, ad eas tantum res revocandam, quæ et imperfectæ sunt et dividuæ. Voluptas enim ut actio videndi, sicut punctum et monas simul et esse cœpit et absolvitur. Accedit quod Aristoteles suum præceptum secutus in Nicomacheis [1]) propositum quamlibet rem ex qualibet oriri negat, sed ex qua quid gignatur in eam dissolvi posse docet Igitur si voluptas est alicuius rei generatio, eiusdem interitus existat dolor oportet, nam voluptas eis nascitur rebus quæ sublatæ dolorem afferunt. Dolor autem cum non modo voluptatis dissimilis sit sed maxime contrarius, fieri posset ut voluptas non in materiam ipsius propriam sed in alienam dissoluta recideret, id quod ex Aristotelis iudicio putatur absurdum.

Quas in exordio disputationis proposuerat auctor opiniones et rationes, quibus Antisthenes aliique voluptatem bonum esse negabant, eæ iam retractandæ videntur, quod etsi breviter tamen ingeniose redarguuntur et speciosæ magis quam veræ perhibentur. Itaque ad alteram procedit reiiciendam sententiam (τοῖς δ'ἔνιαι μὲν εἶναι, αἱ δὲ πολλαὶ φαῦλαι) a Platone plenius enodatam, et ad eos refellendos, qui non omnes voluptates bonas esse contendunt, quia quædam pravæ sint et turpes et iure vitio vertantur, tum quod aliæ ex eis emanantes rebus quibus dolores comitentur sæpe damnum inferant. (τοῦ δὲ μὴ πάσας σπουδαίας ὅτι εἰσὶ καὶ αἰσχραὶ καὶ ὀνειδιζόμεναι καὶ ἔτι βλαβεραί, νοσώδη γὰρ ἔνια τῶν ἡδέων) Quæ si quis paulo diligentius animo contemplatus cum eis comparaverit, quæ pluribus locis de dignitate voluptatum notantur, sententiam modo commemoratam eam esse, quæ magis laudanda sit quam reprehendenda, nec haud ita longe ab ipsius Aristotelis iudicio recedere dispiciet, nam tantum aberat ut omnes quæ vulgo putantur voluptates in bonorum numero ponendas esse statueret, ut non secus ac Plato permultas haberet inhonestas atque ignominiosas. Ad quos ea respiciant, certissimo destitutus testimonio disceptare non ausim, utrum Platonem, qui voluptatibus in duo genera divisis alias puras alias cum dolore mixtas declarat et eas copiosissime perquirit (cf. Phil. pag. 46. pg. 65 E.) [2] quas propter corporis valetudinem morbis corruptam inmodici dolores sequuntur, an alios intellexerit homines, quibus plurimæ apparuerint contemnendæ. Hoc tamen dubitari nequit, quin Aristotelis argumentatio qualiscumque iudicetur, eam opinionem verissimam quidem omnino relinquat intactam; etenim neque lib VII neque X ubi partim superiora repetuntur partim nova colliguntur, ad illam apte iusteque respondetur, sed adversus eos utroque loco disputatur, qui cum voluptates quædam aut cum doloribus coniunctæ sint et morbis aut vituperatione dignæ videantur ullam bonum esse negant. (cf. lib. VII τὸ δ'εἶναι φαύλας ὅτι νοσώδη ἔνια ἡδέα. lib. X πρὸς δὲ τοὺς προφέροντας τὰς ἐπονειδίστους τῶν ἡδονῶν.) Quas conclusiones irritas plane redditurus primum eos qui, quoniam res aliquot iucundæ valetudini noceant, voluptatem malum esse velint, nihil argumentis assequi dicit, quod eodem modo quispiam affirmaverit, sanitatem in malis esse ducendam, quippe nonnulla quibus corporis valetudo iuvetur ad quæstum faciendum sint nociva. Ex his apparet tantum, huiusmodi res per se quidem bonas et iucundas ea ratione damnum parare sicut philosophiæ studium (τὸ θεωρεῖν) interdum valetudini nocet. Quæ licet ad removendam adversariorum offensionem sufficiant, tamen Aristoteles in eis minus requievit, sed quartam primæ sententiæ

1. cf. 1104 a 27—29 ἀλλ'οὐ μόνον αἱ γενέσεις καὶ αἱ αὐξήσεις καὶ αἱ φθοραὶ ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν γίγνονται ἀλλὰ καὶ αἱ ἐνέργειαι ἐν τοῖς αὐτοῖς ἔσονται. cf. Zell. in comment. pg. 432.
2. cf. Stallb. Proleg. ad Phileb. pg. 53. Steinh. Proleg. in Plat. Phil. pg. 51.

causam simul amplexus (ἔτι ἐμπόδιον τῷ φρονεῖν αἱ ἡδοναί, καὶ ὅσῳ μᾶλλον χαίρει, μᾶλλον, οὐδένα γὰρ ἂν δύνασθαι νοῆσαί τι ἐν αὐτῇ) iam hic aliquid strictim tangit, quod ad ipsius doctrinam exprimendam est maximi momenti. Omnino, inquit, nec prudentia (φρόνησις) nec ullus habitus (ἕξις) voluptate ab unoquoque profecta inpeditur sed ea magis quæ ex alieno prodit; itaque multum abest, ut exempli gratia rerum cognitio voluptate inde orta diminuatur, ut vel plurimum ad contemplandum discendumque ea quis incitetur. Hæc placitis aliquot opponi pro certo constat Platonis, qui non nullas voluptates cum sexcentis inpedimentis connexas animum conturbare ratus corporis voluptatem inpuram illam respexisse videtur tanto plus quanto distinctius ad describendas eas confestim transit, quæ temperanter capiuntur omnique comitantur virtuti. (cf. Phil. pg. 63 D.) Ad ceteros iam conversus redarguendos, qui cum quædam voluptates turpes existimentur ac probrosæ, totum genus in bonis numerare dubitant, tribus utitur argumentis: primum affectus illis ortos minime voluptates esse vocandos, propterea quod inhonestæ non per se sint iucundæ sed hominibus male affectis appareant suaves: dein voluptatem quidem expetendam esse respuendam vero eam, quæ a turpibus rebus proveniat, quemadmodum divitiæ sint optabiles sed non proditione partæ, valetudo sit desideranda, dummodo ne quolibet concilietur alimento: Postremo specie voluptates inter se differre, quippe voluptatum aliæ sint quæ rebus ex honestis profluant, aliæ quæ ex probrosis evadant; velut quam voluptatem sentiat et vir iustus et artis musicæ gnarus, ea demum affici possit is, qui iustitiæ exercendæ libenter operetur et musica perfecte penitusque fuerit imbutus. Quod quo clarius dispiciatur exemplum ex vitæ quotidianæ consuetudine sumptum adhibetur, nam ex discrimine quod intercedit inter amicum et assentatorem [1]) facile coniicias esse quidem voluptates improbandas neque tamen omnem contemnendam. [2])

In recensendis primæ sententiæ causis Aristoteles eos deinceps attingit, qui nullius artis opus esse voluptatem dictitant. (τὸ δὲ τέχνης μὴ εἶναι ἔργον ἡδονὴν μηδεμίαν εὐλόγως συμβέβηκεν —

1. Assentator, cuius mores et facta vulgo reprehenduntur, aliquem familiariter convenire non videtur nisi ad voluptatem pariendam, contra amicus, qui quasi sermones suos et congressus alio referat atque assentator a plurimis iure laudatur, bonum et voluptatem honestam petens amico utitur, unde iudicio falsos esse patet eos, qui ex assentatoris voluptate reiicienda in totum genus ignominiam conferunt.

2. Ab Aristotelicis nihil fere discrepant, quae leguntur in Magn. Moral. nisi quod voluptate rerum honestarum actionem inpediri censuisse nonnulli dicuntur cf. II, 7. ὅτι ἐμπόδιον (ἡδονή) τοῦ πράττειν τὰ καλά. τὸ δ' ἐμπόδιον φάσκειν εἶναι διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς σκοπεῖν φαίνετ' αὐτοῖς. Singulis disputationis partibus in Nicomacheorum vestigiis insistens auctor primum docet, nullam voluptatem quae re perfecta pariatur inpedimento esse sed alienam, dein pluribus collatis rationibus, quibus scientia summa cum voluptate connexa traditur, argumentationem ita concludit, ut voluptate rebus honeste agendis comparata magis magisque ad eas faciendas impellamur neque virtus ulla cogitari possit nisi voluptatis coniunctae particeps. οὐ μόνον ἄρα οὐκ ἐμπόδιόν ἐστιν ἡ ἡδονὴ ἀλλὰ καὶ προτρεπτικὸν πρὸς τὸ πράττειν καὶ τὸ ὅλον δέ, οὐκ ἐνδέχεται (ἀρετή) ἄνευ ἡδονῆς εἶναι τῆς ἀπ' αὐτῆς γενομένης. Accuratius etiam eorum sententia refellitur, a quibus nullam omnino voluptatem in bonis haberi supra monui, quod eius species existimentur pravae nec improbitas umquam bonum admittat. (εἰσί τινες φαῦλαι ἡδοναί, τὸ δ' ἀγαθὸν οὐδέποτ' ἐν φαυλότητι εἶναι) Praeterquam vero quod voluptates specie distinguendas esse cernitur, turpes et inhonestas existere declarat, ubi vel natura corrupta vel scientia mala praecesserit, igitur quemadmodum hae genere quidem bonae sunt et laudabiles, sic voluptas quoque in rebus malis per se non est ducenda. Potius in voluptatis dignitate restituenda permagni refert ex quo fonte unaquaeque derivanda sit, imo quamvis contumeliosae quaedam reperiantur, voluptatem genere bonum quiddam putaveris. (ὁμοίως δὲ καὶ ἡ ἡδονὴ τῷ γένει ἀγαθόν ἐστιν, ἐπεὶ ὅτι γ' εἰσὶ φαῦλαι ἡδοναί.)

καίτοι πᾶν ἀγαθὸν τέχνης ἔργον.) Quod argumentum quo spectet, pro certo nequit affirmari, nam quæ a Platone (cf. Phil. pg. 55 E) de scientia et disciplinis uberius exponuntur, vel maxime ad artes colendas et discernendas pertinent. Nullam esse voluptatis artem cum illis consentit auctor, qui describendis in virtutibus dianoëticis artis definitionem hanc exhibuit: (cf. Nic. VI, cp. 4 ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική.) At qui fiat ut voluptas non sit artis, cum ex superioribus tum ex subiectis rationibus et interpretum enarrationibus apud Zellium collatis patet. Quod etiamsi concessum sumpseris, tamen ad sententiam eorum firmandam nihil valere liquet, quod et voluptatem ἐνέργειαν quamdam antea circumscripsit et nullam artem in actu sed in facultate versari ad actum ducenda hic addit. Igitur si qua vis artis est, et in habitu constituendo et in facultatibus ad certum quemdam modum confirmandis ea cernatur oportet; ἐνέργεια vero pendet ex habitu, qui qualis est, talis existit ἐνέργεια. Ex quibus intelligitur, quod ἐνέργεια nullius artis opus iudicari potest, voluptatem non ex arte sed ex habitu profectam esse spectandam, quamquam complures inveniri artes ipse profitetur, quæ velut unguentaria et culinaria voluptati conciliandæ inserviant. [1])

Ceteræ tres dubitationes, quibus qua ratione utantur in æstimandis voluptatibus vir temperans, prudens, pueri, bestiæ iterum significatur (ἔτι ὁ σώφρων φεύγει τὰς ἡδονάς—ἔτι δὲ φρόνιμος διώκει τὸ ἄλυπον οὐ τὸ ἡδύ—ἔτι παιδία καὶ θηρία διώκει τὰς ἡδονάς) presse breviterque comprehenduntur, in quibus solvendis superiora quædam in mentem revocare iubemur. Quæ si quis denuo comparaverit, virum temperantem talem ab Aristotele iudicari non ignorat, qui dum rationem secutus corporis voluptatibus abstineat, hac ipsa abstinentia delectetur: (cf. 1104 b 5) qui voluptatibus in expetendis necessariis ultra modum non progrediatur sed ea qua decet ratione versetur. (cf. 1150 a 23) Porro alias videri natura bonas, (cf. 1148 b 15) alias non per se quidem sed ex eventu tantum optabiles cum ex eis quæ præcedunt satis apparuerit (cf. 1153 a 5) eas voluptates quæ cum cupiditate et dolore mixtæ ad corpus referendæ sint et in quibus nimium adipiscendis vir incontinens permaneat, (cf. III, 13. 1150 a 19—21) a pueris bestiisque desiderari, a viro prudenti qui quantum ad illas pertinet nihil nisi doloris immunitatem laudat caute devitari, a temperanti prorsus effugi demonstrat. Quod prudens cavere voluptates et ἀλυπίαν quærere dicitur, dubitari fere nequit, quin Antisthenes eiusque disciples sint intelligendi, quorum supra mentionem feci. At sicuti sectatores illi doctrinæ severissimæ castigantur a Platone, qui ne scientiam quidem cui summam sæpe tribuerat dignitatem ad beatam vitam sufficere confirmat, nisi quid voluptatis admixtum sit; [2]) sic Aristoteles eos de corporis solis voluptatibus cogitasse nec istas agnosse meliores ostendit, quæ vel moderatissimo viro iucundæ videantur. Quem nec eis gaudere rebus quæ pueris

1. cf. Anal. post. 100 a 8. Anton. l. l. pg 8. Zell. in comment. pg. 316. Non multum abhorret aliud argumentum quod Magn. Mor. auctor paucis refellendum delegit priori quidem maxime necessarium sed ea re diversum quod hic nulla scientia parari voluptas ex adversariorum iudicio dicitur. (ἄλλος ἦν λόγος, ὅτι οὐδεμία ποιεῖ ἐπιστήμη ἡδονήν.) Scientia quacum Platoni voluptates miscendae videbantur, etiamsi virtutibus proprie [appellandis adsignari nequit tamen cum ἀρετῆς ἐπιστήμη agnoscatur, in virtutibus dianoëticis subtilius tractatur. (cf. Eth. Nic. VI, 3) Eam sententiam minus vere pronunciatam esse duabus causis evincit, primum quod accidit, ut aliquot scientiae species voluptatis sunt effectrices (οἱ γὰρ δειπνοποιοὶ καὶ στεφανοποιοὶ καὶ μυρεψοὶ ἡδονῆς εἰσὶ ποιητικοί) tum quia ne reliquae quidem scientiae voluptatem habent tamquam finem propositum sed nonnisi cum voluptate se praebent coniunctas.

2. cf. Steinharti Proleg. ad Phileb. pg. 8.

maximæ sint lætitiæ, nec voluptatem concupiscere actionibus inhonestis partam, non est quod amplius explicetur. Accedit quod multæ res expetuntur velut memoria, scientia, virtus— voluptatis haud expertes, in quibus parandis nihil refert utrum succedat voluptas necne quasque licet voluptate careant acriter per se quispiam optaverit. Fieri tamen non potest quin eis comitetur voluptas tum maxime surgens et conspicua, cum ἐνέργεια sive corporis sive animi ad naturam apta non inpeditur. Quo denique argumento voluptas in bonis numerari posse negatur, (cf. lib. X cp. 2 λέγουσι δὲ τὸ μὲν ἀγαθὸν ὡρίσθαι, τὴν δ'ἡδονὴν ἀόριστον εἶναι ὅτι δέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον) idem ad Platonis doctrinam in Philebo copiosius expressam revocetur necesse est, ubi discrimine inter res finitas et infinitas statuto mens et cognitio finiti, voluptas quæ semper inter maiorem minoremve gradum fluctuat infiniti locum obtinere traduntur. (cf. Phil. pg. 27 E. pg. 31.) Quanto plus his enucleandis notionibus Plato dedit operæ quantoque maiorem concessit vim, ut in Philebi compositione recte perspicienda vel gravissimi sint momenti, tanto scitius in enarratione dialogi perdifficilis a viris doctis quæsitum est, quomodo infiniti notionem philosophus circumscripserit. Quæ quidem materia cum longior sit, quam quæ paucis possit absolvi, ad huius commentationis consilium monuisse satis habeo, Platonem infiniti (ἀπείρου) potestatem partim a Pythagoreis acceptam partim correctam et amplificatam ita constituisse, ut quæ perpetuo se ipsis modo maiora modo minora fiant omnemque graduum aspernentur mensuram ea contineantur. [1]) At quid tali voluptatis definitione proposita sibi voluerit Plato, non promte cognoscitur, nam si conclusio facta videtur ex ratione, qua voluptas plus minusve sentitur, idem in iustitiam reliquasque virtutes cadat oportet, quippe non sit ambiguum, quin singulis hominibus qui virtutibus in exercendis versantur plus minusve iure tribuatur. Sunt enim, qui aliis se præbeant iustiores et fortiores quique in temperanter iusteque agendo superiorem minoremve gradum obtineant. Inde vero non sequitur, ut virtutes ipsæ sint infinitæ et voluptas infinitis rebus accensenda. Sin ex voluptatibus ipsis hoc eliciendum coniecit, causa discriminis non recte affertur, nam quod de valetudine conceditur quæ quamvis rerum terminatarum sit tamen interdum remittitur et intenditur, quominus ad voluptatem pertineat nihil omnino repugnat. Cunctarum enim partium concentus, in quo valetudo consistit, nec in omnibus hominibus nec in unoquoque semper unus idemque est sed valetudine non prorsus sublata ad certum usque finem potest diminui, quare prouti quis plus minusve valet diversi valetudinis gradus efficiuntur. Quo exemplo vereor ne non omnis difficultas in reiicienda Platonis definitione superetur, tamen si conclusionem quæras inde sumendam, hanc nimirum significatam voluisse videtur Aristoteles: Quemadmodum valetudo plus minusve accipit, sic voluptates puræ quæ itidem finitæ sunt et maiores et minores fieri possunt, impuræ autem non dubium est quin propter dolorem admixtum modo remittantur modo intendantur.

Dissolutis argumentis eorum, qui voluptatem bonum esse negabant, Aristoteles ad considerandam iam transit opinionem adversariorum, quos in exordio lib. X voluptatem ait pro summo ducere bono. (οἱ μὲν γὰρ τ'ἀγαθὸν ἡδονὴν λέγουσιν) Qua in re fortasse mirum videtur, quod Aristippi ne mentionem quidem fecit sed unius Eudoxi [2]) sententiam uberius propo-

1. cf. Steinharti Proleg. ad Phil. pg 39 et 48. Stallb. Proleg. in Phil. pg 36.
2. cf. Nic. 1101 b 27. δοκεῖ δὲ καὶ Εὔδοξος καλῶς συνηγορῆσαι περὶ τῶν ἀριστείων τῇ ἡδονῇ· τὸ γὰρ μὴ ἐπαινεῖσθαι τῶν ἀγαθῶν οὖσαν μηνύειν ᾤετο ὅτι κρεῖττόν ἐστι τῶν ἐπαινετῶν, τοιοῦτον δ'εἶναι τὸν θεὸν καὶ τ'ἀγαθόν. cf. Diog. Laert. VIII, 88.

nendam delegit. Is enim qui a Platone philosophiam doctus cum ab æqualibus propter virtutem egregiam morumque integritatem laudatur tum ab Aristotele magna laude dignus habetur, præclare voluptatis partes egisse dicitur, quod ei primum locum concedere voluit. Voluptatem omni prædicatione superiorem esse, perspicuo, inquit, indicio est, quod etiamsi bonum est laudibus non effertur velut numen divinum. Causas si quæsiveris, quibus motus Eudoxus tantæ temperantiæ vir ut sententiam pronunciasse putaretur, non quo ipse voluptatis appetentem se præberet, sed quod vera essent quæ affirmaret—voluptatem summum bonum spectaverit, quatuor in primis afferri conspicies: A, quod omne animal et ratione præditum et rationis expers eam desideret. (διὰ τὸ πάνθ'ὁρᾶν ἐφιεμένα αὐτῆς καὶ ἔλλογα καὶ ἄλογα.) In cunctis, inquit, rebus quod expetendum videtur, bonum est et honestum, et ut quidque maxime cupiendum longe potissimum, igitur quia omnes ad unum idemque tendunt, ut omnibus id optimum sit, necessario sequitur, nam quodvis animal quid sibi bonum sit non ignorat; ergo quod omnibus animalibus bonum est quodque omnia desiderant, summum oportet esse bonum. B, argumento ex re contraria repetito demonstrat, quemadmodum dolor omnibus per se sit fugiendus, sic voluptatem ei contrariam esse peroptabilem. (οὐχ'ἧττον ᾤετ'εἶναι φανερὸν ἐκ τοῦ ἐναντίου· τὴν γὰρ λύπην καθ'αὑτὸ πᾶσι φευκτὸν εἶναι, ὁμοίως δὴ τ'οὐναντίον αἱρετόν.) C, Quandoquidem maxime sit expetendum, quod non alius rei gratia concupiscatur, voluptatem qua quis affectus non interrogetur cuius rei causa gaudeat, per se optandam hominumque consensu propter se ipsam putari affectandam confirmat. (μάλιστα δ'εἶναι αἱρετόν, ὃ μὴ δι'ἕτερον μηδ' ἑτέρου χάριν αἱρούμεθα· τοιοῦτον δ'ὁμολογουμένως εἶναι τὴν ἡδονήν.) D, Quodlibet bonum adiuncta voluptate effici magis etiam optandum evincit veluti iustitiam, temperantiam; at quo bonum crescat et augeatur fieri non posse quin ipsum sit bonum. (προστιθεμένηντε ὁτῳοῦν τῶν ἀγαθῶν αἱρετώτερον ποιεῖν οἷον τῷ δικαιοπραγεῖν καὶ σωφρονεῖν καὶ αὔξεσθαι δὴ τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ ἑαυτῷ.) Quo tamen argumento, quod Spengelius dubitat num Eudoxus tali modo protulerit, id probari tantum subiicit Aristoteles, ut voluptas in bonis habenda nec aliis melius sit æstimandum, quorum quodvis cum altero iunctum se ipso fiat optabilius. Data facultate rursus Plato stringitur, qui ratiocinatione usus haud dissimili adversus voluptatis patronos eam summum bonum esse negat, quod qua ratione circumscriptum voluerit cum ex aliis Philebi locis tum ex præclaro illo perspicitur, ubi (cf. Phil. pg. 20 D sqq.) summum bonum id statuendum sibi persuasit, quod sit τέλεον, ἱκανόν, αἱρετόν hoc est, ut ad bene beateque vivendum solum sibi sufficiat [2]) nec ulla alia re indigeat. Quam definitionem cui teste Diog. Laert. (cf. VI, 11) Megarici et Antisthenes adsensi videntur dum uberius explicat, utrum vita voluptatis plena probabilior sit addita scientia an seiuncta perscrutatus facili negotio reperit, vitam demum ex voluptate scientiaque mixtam vere petendam et utramque summo bono quod assequi possunt homines pariter contineri consertam. Hanc recordatus Platonis sententiam Aristoteles eum sic argumentantem facit: Vita iucunda cum prudentia iuncta optabilior fit quam expers prudentiæ; quodsi iucundum alteri bono admixtum melius est sola voluptate, hæc non est summum bonum quod ullius rei adiumento magis etiam desiderandum effici nequit. Hinc sequi respondet auctor, ut neque aliud quicquam quod rerum per se bonarum una adiecta fiat optabilius summum bonum futurum sit. At Aristoteles qui lib. I cp. 4 Platonicam

---

1. cf. Nic. II, 2. II, 6 ex. III, 15 init.

2. cf. Steinh. Proleg. ad Plat. Phil. pg. 30. Stallb. Proleg. in Phil. pg. 31 sqq.

summi boni ideam studeat infringere vereor ne quid sit summum bonum explorans ipse non multum ab illius sententia discedere videatur, quippe in exponenda beatudinis potestate summum bonum dicat ἁπλῶς τέλειον, αὔταρκες, αἱρετώτατον, ut sit in se absolutum, sufficiens, maxime petendum. (cf. Nic. lib. I cp. 5. 12.) [1].

In diluendis eorum causis qui Eudoxi doctrinam inpugnabant primum argumentum respicit iudicioque falsos docet qui bonum esse negent quod ab omnibus cupiatur. (οἱ δ᾽ ἐνιστάμενοι ὡς οὐκ ἀγαθὸν οὗ πάντ᾽ ἐφίεται, μὴ οὐθὲν λέγωσιν.) [2]. Quæ duobus argumentis ab Aristotele reprobantur, quorum alterum Nicomacheorum cp. I respiciens his verbis conprehenditur: quod omnibus summum bonum videtur hoc esse dicitur—alterum aliunde sumptum evidentius illustrat, ab animantibus cunctis voluptatem optari, cum non modo quæ mentis expertes sed etiam quæ rationis sint participes eam quærant. Imo fortasse in illis quæ antea τὰ ἀνόητα tum τὰ φαῦλα nominantur eadem significatione bonum quoddam reperitur a natura insitum, quo bonum ipsis accommodatum petere inpelluntur. Qui locus quamvis ab interpretibus minus convenienter enodetur, tamen nemo dubitat quin cum priore lib. VII loco bene congruat, ubi hæc perhibentur: (καὶ τὸ διώκειν δ᾽ ἅπαντα καὶ θηρία καὶ ἀνθρώπους τὴν ἡδονὴν σημεῖόν τι τοῦ εἶναί πως τὸ ἄριστον αὐτήν. cf. cp. 14) Accedit quod et alterum illud ex eis quæ proxime subiiciuntur acrius cognoscitur, si cunctis animalibus boni quiddam innatum esse fertur, (cf. πάντα γὰρ φύσει ἔχει τι θεῖον) de qua re in libris de Part. Animal. II, 5 copiosius disputatur. Addita iam Aspasii explicatione quæ sibi voluerit auctor neminem fugit; animantes enim omnes summam voluptatem ἐνεργείᾳ ex virtute profecta consistere sentiunt, tamen cum plurimæ hac voluptate divina perfrui nequeant, in sola corporis voluptate permanent eaque delectantur, quasi nulla præter hanc inveniatur. Quos intellexerit adversarios licet pro certo contendi nequeat, tamen Antonius (pg. 10) cum quadam veri similitudine suspicatur, hanc totam refutationem præcipue conversam esse in Speusippum, ad quem reliqua haud dubie revocanda sunt. Alterum Eudoxi argumentum quod ex re contraria repetitum nihilo minus ab Aristotele conprobari mox apparebit, tali ratiocinatione conantur infringere; si dolor malum sit, neutiquam inde sequi dicentes, ut voluptas bonum sit, quod malum malo possit opponi et utrumque ei quod neutrum sit nec bonum nec malum. Quæ si quis confert cum eis, quæ lib. VII cp. 14 in. de rationibus voluptatis et doloris a Speusippo conclusa traduntur, qui diversa ingressus via, veluti minori et æquali maius atque in virtutibus duo fines extremi sibi ipsis et medio opponantur, sic doloris absentiæ contrarias esse voluptatem et molestiam Gellio [3]) teste credit: nostrum quoque lib. X locum ad Speusippum pertinere facile sibi persuadebit. (VII, 14. ὡς γὰρ Σπεύσιππος ἔλυεν, οὐ συμβαίνει ἡ λύσις, ὥσπερ τῷ μεῖζον τῷ ἐλάττονι καὶ τῷ ἴσῳ ἐναντίον. X, 2. 1173 a 7 ἀντικεῖσθαι γὰρ καὶ κακὸν κακῷ καὶ ἄμφω τῷ μηδετέρῳ.) Speusippus enim quem Platonis magistri præceptis obsequentem iracundum et voluptati deditum fuisse testatur Diog. Laert. [4]) bonum collocavit in vacuitate

1. cf. Laas Arist. Eudaemonia dissert. inaugur. Berol. 1859 pg. 8.

2. cf. Magn. Mor. II, 7. ubi similiter ex ea potissimum re, quia voluptas ab omnibus expetatur, eam summum bonum esse concluditur. pg. 1205 b 35—37. τοῦ γὰρ ἀγαθοῦ πάντα πέφυκεν ἐφίεσθαι, ὥστ᾽ εἰ τῆς ἡδονῆς πάντ᾽ ἐφίεται, ἀγαθὸν ἂν εἴη τῷ γένει ἡ ἡδονή.

3. cf. IX, 5. Speusippus vetusque omnis Academia voluptatem et dolorem duo mala dicunt esse opposita inter sese, bonum tamen quod utriusque medium foret.

voluptatis et doloris, ita ut quod dicit τὸ μεῖζον ad voluptatem, quod appellat τὸ ἧττον ad dolorem τὸ ἴσον ad boni notionem utrique interpositam revocanda videantur. Consentit quidem dolorem in malis numerandum sed ex eo coniici posse negat, voluptatem bonis accensendam, quod dolor et voluptas bono pariter opponantur. Quam conclusionem Aristoteles neque lib. VII admittit, ubi postquam concessum sumpsit, dolorem utpote malum aut simpliciter aut ex eventu fugiendum esse, voluptatem rei nimirum evitandæ contrariam in bonis habendam demonstrat: (cf. VII, 14. in.) neque lib. X, ubi Speusippi conclusionem per se non ineptam sed ad delendam Eudoxi sententiam minus accommodatam esse profitetur. (cf. lib. X, 2 λέγοντες ταῦτα οὐ κακῶς, οὐ μὴν ἐπίγε τῶν εἰρημένων ἀληθεύοντες.) Omissa iam quæstione, utrum interpretatio Eustratii, cui τὸ μηδέτερον idem videtur ac τ'ἀγαθόν, an præferenda sit Micheleti qui Stoicorum usu comparato τὸ μέσον significari censet, quamquam hæc maiorem veritatis speciem præ se fert, Aristotelem ipsum audiamus disputantem: Voluptas, inquit, et dolor si mala essent, ambo sane digna forent, quæ fugerentur, sin neutrum esset, vel neutrum vel pariter utrumque foret fugiendum, cum vero dolorem quod malum sit evitari pateat voluptatem tamquam bonum expeti: sequitur ut voluptas et dolor recte sibi opponantur eodem modo, quo bonum et malum. (cf. lib. VII. ἀλλὰ μὴν ὅτι καὶ ἡ λύπη κακόν, ὁμολογεῖται, καὶ φευκτόν. ἡ μὲν γὰρ ἁπλῶς κακὸν ἡ δὲ τῷ πῇ ἐμποδιστική. τῷ δὲ φευκτῷ τὸ ἐναντίον ᾗ φευκτόν τε καὶ κακόν, ἀγαθόν. ἀνάγκη οὖν τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν τι εἶναι. lib. X. ἀμφοῖν μὲν γὰρ ὄντων κακῶν καὶ φευκτὰ ἔδει ἄμφω εἶναι, τῶν μηδετέρων δὲ μηδέτερον ἢ ὁμοίως.) Quibus si denique coniunxeris locum lib. VII simillimum, ubi causis ex beatitudine derivatis apertissime demonstratur, si voluptas nec bonum nec malum sit, dolorem quoque neutrum esse neque intelligi cur ab omnibus tanto opere fugiatur: (οὔτε κακὸν γὰρ οὔτ' ἀγαθὸν ἡ λύπη, εἴπερ μηδ' ἡδονή. ὥστε διὰ τί ἂν φεύγοι sc. ὁ εὐδαίμων) Aristotelem Eudoxi sententiæ valde patrocinatum fuisse perspicies.

